AUTHOR:

LENIENT, CHARLES

TITLE:

DE CICERONIANO BELLO APUD RECENTIORES...

PLACE:

PARISIIS

DATE:

1855

Master Negative #

92-80496-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Lenient, Charles Félix 1826-1906.
De Ciceroniano bello apud recentiores commentariolum edidit C. Lenient ... Parisiis, apud viduam Joubert, 1855.
74 p.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-6-92 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

CICERONIANO BELLO

APUD RECENTIORES

4804. Paris. Imprimerie Guiraudet et Jouaust, rue Saint-Honoré, 338.

DE

CICERONIANO BELLO

APUD RECENTIORES

COMMENTARIOLUM EDIDIT

C. LENIENT

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

PARISIIS
APUD VIDUAM JOUBERT, BIBLIOPOLAM
VIA DICTA DES GRÈS, 14

1855

Optimo & egregio viro

A. de Wailly

Olim carissimo Napoleonensis Lycei
Provisori,

Nunc præcipuo in imperatoria Universitate
disciplinarum Curatori,

Hoc parvum gratiæ monumentum
D. D. D.

PROŒMIUM

I. — Hujus belli primordia si quis tanquam ab ovo repetere velit, ad ipsam Ciceronis ætatem retrocedat necesse est. Namque etiam inter ejus æquales exstitit factio quædam oratorum qui Tullianam dictionem, ut Asiaticam, nimisque redundantem ac pæne molliorem, rejicientes, aliquod dicendi genus magis severum, pressumque ac recisum sectarentur. Quorum duces fuere Brutus et Messala, cæteroquin, ut ex Oratoris libro patet, cum Cicerone amice discordantes. Mox alii in impugnanda ejus eloquentia acriores fuere, quos privatæ aut publicæ inimicitiæ cum illo susceptæ impulerant. Primo scilicet Fufius ille Calenus, Antonii prætor, qui inter civiles turbas, in medio senatu, Tullii non modo vitam, sed oratoriam laudem, atrociter maledictis laceravit (1). Cujus vero crimina Tullius ipse ita locuplete conviciorum proventu confutavit, ut ea dies, privatis simultatibus addicta, reipublicæ frustra consumpta fuerit. Infensissimus quoque fuit Asinius Pollio, historiarum scriptor, idem ille qui Titum Livium *patavinita-*

(1) Dio Cassius, lib. XLVI, cap. 1, 29.

tis arguerat, omnium illustrium virorum insectator, Verris præco, ac Zoïlus Ciceronis (1). Adjiciatur etiam, memoriæ causa, Cestius quidam, alius Tullianæ eloquentiæ criminator, quem Tullii filius in Syria præturam gerens corripi jussit, ut de ejus corio patriis manibus, pio verberum munere, satisfaceret. His igitur auspiciis circa tanti viri famam prima discordiarum semina erupere.

II. — Neque labentibus annis odia resederunt, sed contra visa sunt crudescere, adjuvante hinc Tullianæ laudis fautorum, illinc inimicorum impotentia. Mox etiam signa movere Asinius Gallus, hujus, de quo diximus, Pollionis filius, paternæ hæres invidiæ simul ac proterviæ, et Licinius Largus, acidi auctor libelli, cui titulus erat *Ciceromastix*, velut acceptæ a Cestio injuriæ piaculum. Hoc vero flagellum, quo Ciceronis imaginem ac memoriam illi lacessebant, postea resumpsit Aulus Gellius, ut ipsos tanti viri calumniatores propelleret. Quibus, ut sacrilegis, irata et belligera voce has diras est imprecatus (2) : « Ut quidam fuerunt, monstra hominum, qui de Diis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt, ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes exstiterunt.... ut scribere ausi sint M. Ciceronem parum integre, atque improprie, atque inconsiderate locutum. »

Quintiliani (3) temporibus hæc eadem studiorum divortia adhuc plane vigebant : inter Asianos et Atticos oratores decertabatur; quorum in medio stabant Rhodii, quoddam temperatum et ex utroque mixtum dicendi

(1) Senec., Suasor. VII, præfat., III declam.
(2) A. Gell., lib. VIII, cap. I.
(3) Quint., lib. XII, cap. 10.

genus affectantes. In his autem controversiis tum primum exagitata fuit illa de Imitatione quæstio, unde tot bella postea exorta sunt. Jam tum etiam esse cœperant Ciceroniani, qui, ducis tanti vestigiis timide ac superstitiose insistentes, ejusque verba et habitum magis quam sensus et animum referentes, se ad summam eloquentiæ laudem provectos esse æstimabant, dum in clausula posuissent *Esse Videatur*. Quosquidem irridet Quintilianus, quamvis ipse pro Ciceronis vita, moribusque et ingenio sæpius fortiter, sed sano judicio et omni remota superstitione, dimicaverit.

III. — Ex illo tandem discordiarum æstu ac tumultu emersit hæc tanti oratoris fama in dies major et ipsis rebus Romanis superstes. Etiam apud Ecclesiæ patres in honore fuit habita, cum Tertullianus hujus eloquentiæ deliciis aliquando se nimium indulsisse fateatur. Quas postea neglexit, ut magis christianam, id erat magis incomptam et rudem, orationem adhiberet. Mediæ ætatis temporibus, Cicero cum Boetio, Martiano Capella cæterisque rhetoricæ magistris in eloquentia regni partem obtinuit; sed recentiorum auctorum contagio et scholastica barbaria fuit corrupta ejus mera et candida latinitas. Postremo Romanæ eloquentiæ parenti mitius cœlum et, ut ita dicam, altera vita illuxit, eo tempore quo bonæ artes in Europa iterum efflorescere et antiquitas e tenebris ac situ cœpit excitari. Tunc enim circa Ciceronis memoriam et opera maxima studia, in Italia primo, exarsere. Jam e quarto decimo sæculo Petrarcha ejus epistolas pio studio colligebat; Poggius vero ad ipsos Galliæ fines properabat ut nonnulla ejusdem scripta e museorum pulvere excita, velut ignotas terras,

studiosa peregrinatione rimaretur. Mox autem ex ipsa admiratione orta est æmulatio assidua, et, ut plerumque fit in humanis rebus, servilis imitatio. Unde bellum, quod nobis est exponendum.

IV. — Huic renascenti Ciceronianorum factioni obstitit primum Angelus Politianus, vir doctrina et ingenio singularis, Græca, Latinaque et Italica lingua disertissimus, suæ ætatis decus ac prodigium. Quiquidem vel ingenua quadam animi libertate, vel suarum ipsius virium fiducia fretus, eorum timiditatem et desidiam increpat, *qui stilum, quasi panem, frustillatim mendicant*, nec ex die solum vivunt, sed in diem : sibi enim longe honestiorem videri tauri faciem, aut item leonis, quam simiæ, quæ tamen homini similior sit. *Non sum Cicero !* exclamat, *sed tamen me exprimo* (1). Hac scilicet libera et aliquando aspera linguæ fiducia amicum et sodalem Paulum Cortesium, isto morbo laborantem, admonebat. Ille vero, Cicerionanæ superstitionis tenax, cujus gratia epistolas ad Tullii exemplar expressas collegerat, acriter Imitationis causam egit, epistola quidem eleganti, bellula et argutula (2), ut ait Bembus, sed majore verborum quam argumentorum vi et pondere ; his scilicet objectis, quod ex Imitatione omnes artes ortæ sint, neque aliquid in intellectu sit quod ante non fuerit in sensu ; addito præterea se multo magis malle Tullii *asseclam* aut *simiam* esse quam cujusvis filium aut alumnum.

Ineunte proximo sæculo controversia ista inter Joannem Franciscum Picum Mirandulanum et Petrum Bembum renovata est. Quorum alter, tum doctrinæ varietate, tum ingenii fiducia, Politiani suique avunculi discipulus, recentioribus litteris liberum spatium et periculosam novandi et inveniendi aleam vindicabat ; alter vero, pius veterum cultor, Imitationis cliens et patronus, intra perpetuam unius auctoris, ac maxime Ciceronis æmulationem, versari oratorem jubebat : vir cæterum eximius, de quo postea plenius ac fusius dicendum erit. Utrinque igitur, etsi jam fervebant ista studia, pari tamen ingenii humanitate et animi modestia de Imitatione disputatum est. Picus Mirandulanus orationem, vel potius, ut ipse fatetur, sermonem, intra sex aut septem horas extemporali festinatione, a qua longe abhorrebant Ciceroniani, compositum prior ad Bembum misit (1). Quo in opusculo, licet brevi et modesto, nonnullæ quidem novæ et audaces eminebant sententiæ. Etenim contendebat « *Virgilium ab Ennio plura sæpius mutuatum esse ; ingenia crescere verius quam decrescere, et hominum studia semper in melius progredi debere ; cuique vero ætati, cuique homini, ut propriam indolem propriasque sententias, ita proprium sententiarum habitum et cultum esse.* » Huic ut responderet, Bembus elegantem, accuratam, scitamque et omnibus Tullianæ facundiæ leporibus conditam edidit orationem, qua simul et animi candorem, et ingenii urbanitatem et nimiam in tentanda via timiditatem declarabat (2). « *De meo, inquit, animo tantum tibi affirmare possum nullam in me stili formam, nullum dictandi simulacrum antea*

(1) Ang. Polit., Epist., lib. VIII, 16 et 17.
(2) Pauli Cortesi ad Angel. Polit. epist. (*Ibid.*)

(1) Pic. Mirand. ad Bemb., De Imitatione, 1512.
(2) Bemb. ad Pic. Mirand., De Imitatione.

inspexisse, quam mihi ipse mente et cogitatione legendis veterum libris, multorum annorum spatio, multis laboribus ac longo usu exercitationeque confecerim. » Quippe objiciebat æmulationem cum Imitatione semper conjunctam esse, absurde autem agi, si quis meliorem viam quæreret quam illam quæ a Cicerone, nisi inventa, at certe per eum facta esset amplissima et illustrissima. Quadam tamen animi et linguæ verecundia fatebatur se forsitan erravisse (1), nonnullis etiam lepide adjectis ad sodalis sui doctrinam, ingenium et amicitiam celebranda. Isti vero *blandientes aculei* (2), quibus Picus se leviter pungi et jucunde titillari prædicabat, prima jam insurgentis belli erant irritamenta. Non hoc diu placido et incruento marte decertatum est. Mox enim atrociora partium studia, ambitio, ira et alia pessima aut absurda invasere. Quibus excitandis ut fax admota fuerit enarretur.

(1) « Quanquam ego non is sum qui me falli non putem posse.»
(2) Orat. sec. ad Bemb.

I

BELLI ORIGO.

V. — « Hoc sæculo, inquit Erasmus (1), nescio quo fatalí tumultu seorsum deorsum miscentur omnia, sive christianæ religionis studium inspicias, sive monarcharum ac rerum publicarum conditionem reputes, sive litterarum rationem intueare ». Profecto cuilibet in universum ætatis illius Erasmianæ mores et ingenia intuenti hoc maxime apparebit, omnia, quæcunque sint, in partes ac turbas verti. Sui enim litteris ipsis sunt tumultus, sua bella, factiones, dictaturæ, triumviratus; vix etiam manibus abstinetur, ut ferro et igni Aristotelis aut Ciceronis decus ac memoria ab injuria vindicentur. Nunquam in vivos promptior fuit ira, neque in mortuos pietas atrocior.

Ab hoc autem tempore jam tum discordiæ exarserant, quo bonæ artes cœperant in Europa iterum efflorescere. « Alii (2) enim prorsus nolebant quidquam politioris litteraturæ reviviscere, ne quid ipsi nescire viderentur. Rursus alii mitiores Romanam linguam utcunque laturi videbantur, Græcam et Hebraicam nullo pacto recipien-

(1) Ciceron. Dial.-præfat.
(2) Erasm. Epist., Basil., 13 oct. 1527.

dam arbitrabantur. » Quos ut refelleret Erasmus primum ab adolescentia composito et postea edito (1) anti-barbarorum libro in aciem processerat. Vix autem remota barbarie, cum novis studiis liberius spatium et mitiora fata patere viderentur, litterarum rempublicam jam florentem acrius invasit domestica illa Ciceronianorum pestis, et ex Italia per totam Europam cœpit evagari (2). Cuiquidem gliscenti morbo consilii ac risus sui medicinam afferre aggressus est Erasmus, idem ille barbarorum insectator, summus vir fama, doctrina et ingenio, lepidissimus omnium ridiculorum castigator, libertatis amans, omnigenæ vel religionis vel litterarum superstitioni infensus, nunc in expellendis sordibus scholasticis, nunc in tuendis ipsis contra recentiorum fastidia Ecclesiæ Patribus aut Mediæ Ætatis ingeniis acerrimus, cujus ea singularis fortuna fuit ut, restituendæ pacis studiosus, perpetuo bella ex bellis sereret, et, a partibus ac factionibus abhorrens, quocumque manum admoveret, ibi simul excitaret tumultus et incendia.

VI.— His temporibus, inter bonarum artium fautores duæ in Europa erant præcipuæ, ut ita dicam, eruditorum gentes, cum studiis, tum finibus terrarum ac montium se-

(1) « Nondum annum vigesimum attigeram, cum hoc operis sum aggressus. Pauculis deinde post annis visum est in dialogum retexere, quo lectio minus tædii haberet. Operis summam in quatuor libros digesseram. » (Erasm. Joanni Sapido suo., anti-barb. lib. præfat.)

Cum autem primus liber furto subreptus, inscio auctore ipso, Lovani excusus esset, Erasmus aliud ejus exemplum politius et excultius in lucem edi curavit. Quem ex quatuor libris solum hodie tenemus.

(2) « Hanc febrim nobis immisit Italia, ne qua pars esset immunis a discordiis. » (Ludovico Berquino Erasmi Epist., 12 dec. 1528.)

paratæ. Quarum altera ex antiquorum libris sententias, argumenta, res, et quodam modo succum, neglecto sæpius orationis cultu, exprimebat; altera contra, anxio imitandi studio, verborum concordiam, juncturam et colorem apud eos magis sectabatur. Illa scilicet Transalpina, cujus principes erant in Gallia Budæus, in Anglia Morus, in Germania Melanchton, in Batavia Erasmus : hæc autem Cisalpina vel Italica, cui præerant Bonamicus, Egnatius, Majoragius, Nizolius, Petrus Vettorius, clarissimi rhetores (1); Christophorus Longolius, non genere quidem, sed ingenio et vita, Italus; Leo Decimus ipse Pontifex, orator et aliquantulum, ut ex versibus in Lucretiæ statuam compositis liquet, poeta Ciceronianus, Pontificisque maxime familiares et scribæ Sadoletus, episcopus Carpentoractensis, et Bembus, de quo jam ante pauca diximus. Is quidem Ciceronianæ legionis longe ante alios fuit dux ac princeps, hoc cæterum cognomine vere dignus, tum ingenii humanitate, tum doctrinæ varietate, tum orationis leporibus, quos ex ipso Tullianæ facundiæ fonte purissimos excepisset : cui sane nonnullus fuerit sermonis fucus et major verborum quam sententiarum cura; sed tam amabilis, ut nescio qua dictionis et animi urbanitate nos mulceat ac devinciat. In hoc tamen vituperandus, quod sæpius minime videatur Christianus, sive ad semi-paganas dicendi formulas, sive ad carminum lasciviam, sive ad vitæ licentiam, quæ futurum cardinalem parum decebat, respicias. Apud Italos pauci quidem Angeli Politiani et Pici Mirandulani

(1) De his vid. Tiraboschi (Storia della lett. ital., t. VII).

partes secuti sunt (1) : vicit Bembi factio, et, adjuvante hinc Summi Pontificis gratia, illinc gentili superbia, tota Italia facta est *Ciceroniana*. Quod sane minime mirum, si hujus gentis ingenium, mores et studia consideres. Quippe quæ omnibus aurium et oculorum deliciis dedita, uti decebat musicos, pictores, artifices, rhetores ac poetas, quibus plus ingenii quam rationis erat, exterioris cujuslibet formæ lepores sectaretur. Ubi enim e Mediæ Ætatis sordibus ac nebulis effulsit illa clara puraque antiquitas, Italorum ingenia fascinata sunt. Neque obliviscendum hanc ætatem fuisse, qua Raphaël et Michaël Angelus, isti maximi pulchritudinis et formæ præcones, exstiterint; hanc, qua, eodem æstu Italia ferveret quo Græcia, cum olim ad Phidiam pulcherrimum puellarum florem, artis specimen et exemplar, mitteret; hanc tandem, qua Fornarina, altera Aspasia, in Vaticano ipso, juxta summi Pontificis cathedram, Leporum ac Venerum regina, domicilium haberet. Quemadmodum igitur ante illa marmorea et ænea signa, humo et ruderibus effossa cœloque reddita, vel ad veterum imaginem expressa, ita ad hanc liquidam et candidam antiquorum scriptorum venustatem omnes admiratione devincti obstupebant. Inter hæc autem inebriatæ gentis studia nonnulla aliquando incidisse deliramenta facile concipi potest.

VII. — Ex hoc tanto munditiarum amore mox eo ventum est, ut quidquid vel neglectiorem, vel asperiorem cultum redoleret, fastidiretur. Sic Divus Bernardus, Thomas Scotus, maxima illa Mediæ Ætatis lumina, pro nihilo haberi cœperunt. Fastidium autem, ubi viam sibi fecit, latius serpat necesse est. Itaque, his primo rejectis, mox etiam Ecclesiæ Patres eadem delicatioris judicii superbia neglecti sunt. Bembus enim, si Thomæ Lanzio, cæterum male certo auctori, quod Germanus et Lutheranus fuerit, creditur (1), amico cuidam suadebat ne Divi Pauli epistolas, quas *epistolaccias* vocabat, legendo frustra tempus tereret, et sui sermonis corrumperet elegantiam. Idem ille, omnibus mixtis sacris profanisque, et recentiorum temporum rebus et moribus ad veterem dicendi habitum expressis, in Venetorum historia, hujus reipublicæ senatum inducit, ad Julium Pontificem scribentem, ut *Diis immortalibus confidat* (2), *quorum in terris vicem gerit*. Alias, in epistola qua Recanatenses colonos increpat quod, struendo in Lauretanæ Virginis honorem ædificio, putridum lignum tribuerint, eos rogat ut melius mittant, « ne tum nos, inquit, tum etiam *Deam ipsam* inani lignorum inutilium donatione lusisse videamini. » Omnes autem summi Pontificis nomine editæ epistolæ aut decreta, non a nato Christo, sed ab Urbe condita, idibus ac

(1) Majoragii cum Nizolio de Ciceronis Paradoxis controversiam ex consilio omisimus, quæ magis privata fuit quam publica, nec cum universo Ciceronianorum bello nobis videtur cohærere.

(1) Lanzii oratio contra Italiam, p. 783.

Apud Konig hujus dicti testis adhibetur Scipio Gentilis, Comment. ad Epist. Pauli ad Philem., p. 40.

(2) Venet. Hist., lib. VI, VIII et seq.

His verbis in oct. lib. Antonius Minius senator orationem incipit : « Dii immortales, qui acta et cogitationes nostras prospiciunt, irati nobis infensique sunt.»

Lauredanus autem reipublicæ princeps : « Postremum est ut Deos omnes orem, teque in primis, *Marce*, urbis hujus parens ac conservator.»

kalendis inscribuntur. Præterea multas ab eodem detractas, quas derideret, Justus Lipsius in centuriis suis recollegit (1). Sic, exempli gratia, apud eumdem dicitur rex Thracum qui cæteris Turcarum; Aloysius, ut magis ῥωμαϊστί, Gallorum rex, qui alias Ludovicus; *Fides* autem *catholica* nonnisi *Persuasio est; Excommunicatio, aqua et igni interdictio; Peccata morituro remittere*, *Deos superos manesque illi placare*. Roma igitur illa, christianæ religionis sedes ac domicilium, arx illa sanctissima, cui veræ Fidei tutelam custodiamque Divus Petrus commiserat, fiebat semi-pagana, ita ut Pontifex ipse, Cardinales, Episcopi, theologique, nihil nisi Platonem, Homerum et Ciceronem, Jovemque pro Deo, Numina pro sanctis, Apollinem pro Christo, Dianamque pro Virgine perpetuo fabularentur. Hoc modo exorta sunt eruditorum, ut ita dicam, Saturnalia, quibus agendis pariter ac promiscue Capitolium et Vaticanus, theatra et templa quasi propria fiebant domicilia. Zenobius autem Acciaiolius oden edebat qua Leonem decimum *Luminare majus Ecclesiæ*, Soli seu Phæbo compararet. Paulo post etiam, sub Clemente septimo, horum temporum celeberrimus poeta Actius Syncerus Sannazarius in sacro poemate, quod inter scenicos ludos in theatro fuit decantatum, omni populo plaudente, Virginem sibyllinis libris intentam et Protea de Christo vaticinantem inducebat :

Illi veteres de more sibyllæ
In manibus.....
Ipse mihi hæc quondam, memini, dum talia mecum

(1) Cent. 2. — Epist. 57.

Sæpe agitat, repetitque volens, narrare solebat
Cæruleus Proteus..... (1)

Cujus operis in exordio Musas ipsas, quasi Virginis Sanctæ germanas, his malesanis versibus invocabat :

Quandoquidem genus e cœlo deducitis, et vos
Virginitas sanctæque juvat reverentia famæ,
Vos igitur, seu cura poli, seu Virginis hujus
Tangit honos, monstrate viam.

VIII. — Relegatis autem hinc Mediæ Ætatis ingeniis, illinc Ecclesiæ Patribus, in dies vero crescente ista fastidiosa deliciarum curiositate, mox etiam veterum auctorum factæ sunt proscriptiones. Pauci quidem in honore, nec multo post Cicero unus, cæteris exterminatis, dicendi pater ac princeps habitus est. Cujus in vocibus, numeris, pedibus, modis et clausulis referendis, tota ingeniorum studia morata sunt. Sic adolevit ista delicatissima Ciceronianorum societas bellula, scitula, lepidula, et plerumque vanis sermonum leporibus veneribusque immoriens, quam Erasmus nobis ostendit perpetuo *desidentem in Ciceronis myrotheciis ac rosariis et in illius sole apricantem* (2). Inter has igitur operosæ latinitatis exercitationes inani trepidatione æstuabat illa gens, et summam vitæ felicitatem maximumque ingenii fructum sese adeptam fuisse arbitrabatur, si modo longissima hiemis nocte unam aut alteram verborum juncturam ad Ciceronis exemplar expressisset. Quippe Bonamicus declarabat se malle Ciceronianum quam Regem aut Ponficem esse : Bembus autem sibi potiorem videri Ciceroniane scribendi facultatem quam Ducatum Mantuanum.

(1) De Partu Virginis, lib. I, III.
(2) Erasm., Ciceron. Dial.

Quinetiam eo res brevi processit, ut Bembus ipse, vir placido et imbelli ingenio, a suis præverteretur.

Namque, insolescentibus animis, Italorum facta est conjuratio, his scilicet positis icti fœderis conditionibus : primo, ne quod verbum, nisi Tullii auctoritate sacratum, proferrent; secundo, ne quemquam nisi Italum Ciceronianorum numero adscriberent. Ipsi enim, quasi patrio jure, Tullianæ facundiæ hæreditatem sibi vindicantes, cæteros Europæ doctos ut Barbaros habebant, et Brenni aut Arminii nepotes præpostera superbia fastidiebant, objecta scilicet, non sine quadam verbi invidia, Gallorum et Teutonum appellatione. Itaque edicto vetuere ne in publicis Italiæ scholiis legerentur Budæi aut Erasmi opera, illustrium virorum, quorum nomen his temporibus per omnium ora volitabat; qui vero in Romanarum litterarum republica homines novi et inquilini cives Italis videbantur. Ergo illi ferocissimi vernaculæ latinitatis satellites excubias agebant, ne externus sermo e Gallia aut Germania præsertim Alpinos fines transcenderet, et Ciceroniano candori labem adspergeret.

Unus tamen inter Barbaros, Christophorus scilicet Longolius, singulari quodam dono, civitate Romana donatus fuit, non vero sine multo labore, multisque controversiarum ambagibus (1). Quiquidem, ut nos docet Paulus Jovius (2), « aureo Leonis Decimi pontificatu, Romam venit, adeo dissimulata ingenii professione, ut rubro pileo et adstricta penula semi-Germani militis habitum mentiretur, quippe cui mens erat avide

---

(1) De hoc vide Bembi ad Longol. Epist., lib. v, p. 280 et 282.
(2) Paul. Jov. — Longol. Vit.

peregrinanti priscæ felicitatis monumenta spectare, scrutari ingenia, bibliothecas excutere, *atque illud demum eruditæ censuræ judicium quod frustra alibi quam sub Romano cœlo quæritur*, certius atque liquidius adspicere. » Quibus autem procemiis quot et quantis piaculis opus fuerit, antequam sacrosanctæ Ciceronianorum cohorti adscriberetur, quasi antiqua Cereris aut Bacchi orgia adiret, vix cogitari potest. Nempe primo Teutonicæ originis labem eluere, mox etiam sacrilegas laudes quibus Budæum et Erasmum cum Italis comparatos extollere ausus esset, abdicare debuit. Denique, post longissimam quadraginta dierum exspectationem, in Capotilinam arcem admissus, duas solemnes orationes habuit, quibus læsæ majestatis crimine se purgaret, magno quidem verborum apparatu et ficto animi pavore, quasi de capitis periculo dimicaret, hoc scilicet gravi et magnifico usus exordio : « Quod per hosce quadraginta dies a Deo Opt. Max. precatus sum, P. Conscripti, ut, si eo in senatum populumque Romanum animo semper fuissem quo mortales omnes esse deberent, daretur mihi aliquando ad perpetua illa et plane hostili accusatorum meorum insectatione respirandi spatium; ut hoc in loco, et accusationem tuto refellere, et innocentiæ meæ rationes vobis libere explicare possem: id ego mihi hodie tandem, singulari vestro consilio, tum etiam beneficio videor consecutus; qui me, quod erat quidem æquitate vestra dignissimum, sed, in tantis adversariorum meorum opibus, mihi hoc tempore minime sperandum, præter omnium opinionem, ad causam hac in arce Capitolina dicendam admisistis. » (Orat. prim. Christoph. Longol.) In illa vero maxime lu-

culentæ ac numerosæ, sed præposteræ latinitatis farragine, nescio quos Patres Conscriptos, Consules, Tribunos, Ædiles, Prætores et Gladiatores etiam, quorum vim timeret, vigilans ille somniabat. His tandem meruit dici Ciceronianus. Idem etiam ad Tullii imitationem amicis epistolas, et in Lutheranos Philippicas orationes, quarum una exstat, conscripserat. Nobilis quidem ille juvenis, et admiratione quam risu dignior, qui per multos viæ labores, ut Italiæ cœlo frueretur, ad bonarum artium fontem venit, sed in vacuo et jejuno imitandi studio ingenii vires consumpsit, cum ad meliora natus videretur! Ita vix repressa barbariæ scholasticæ impotentia, altera dominatio bonis artibus impendebat.

IX. — Contra autem hanc tantam lymphatæ gentis insolentiam Erasmus primo Budæum, summum Transalpinæ doctrinæ ducem, pro Gallia simul et Germania signa moturum speraverat; eique etiam, quibus animum inflammaret, nonnullas miserat epistolas. Cum autem ille, etsi commilitium suum pollicitus (1), vel simultatum incuriosus, vel secretioribus studiis deditus, castris exire dubitaret, Erasmus isti garrulæ Italorum legioni obviam ire constituit. Quippe qui acri ingenio, expeditoque sermone et levi salium ac jocorum armatura semper ad pugnandum paratus, jam antea missile telum sæpius projecisset, cum hæc verba jocando soleret dictitare : *Decem annos consumpsi in legendo Cicerone*. Quibus per ludum fingebat Echo græce respondere : Ὄνε, id est, *Asine!* Nunc vero gravius aliquod belli tormentum meditabatur. Ergo licet senior factus

(1) Erasm. Epist. Danesio (5 sept. 1528).

ægerque ac fessus, jam Barbarorum spoliis nobilitatus, hæc nova suscepit stipendia, non sine tamen quodam animi angore, quasi invitus suum caput inimicitiis ac periculis iterum objectaret. Namque, postquam se cum vetere illo Virgilii Entello comparavit : « *Erasmo*, exclamat, *in arena moriendum* (1). » Quasi vero non satis esset tum Bedæ et Aleandri invidiam, tum Lutheri et OEcolampadi furores, tum imperiosam Sorbonæ auctoritatem, tum sanctæ Cathedræ ipsa fulmina in se concitasse, contra hujus novæ factionis copias etiam illi erat decertandum. « Cum multis excetris mihi res est, ut Andreæ Alciato scribebat, lethale virus efflantibus, non septenis, sed septies millenis capitibus (2). » Sed, dum hæc omnia secum volvebat, jam *alea jacta erat :* quippe, ut istum alterum Rubiconem transiret, multæ causæ incitabant.

Primo scilicet proprii nominis cura,

Spretæque injuria formæ,

cum ipse ab Italo quodam Lilio Giraldo *Germanicus* inter *Latinos* maligne dictus esset. Præterea suadebat insitus libertatis amor ut grassantem istam tyrannidem reprimeret. Ipse hunc usum, a plerisque doctis adoptatum, ut idibus et kalendis suas epistolas notarent, non secutus fuerat. Neque inter eas angustias coerceri bonas artes æquo animo tolerabat, ille qui, Cornelii nostri instar, hujus antiquæ legis beneficio utendum censebat : « *Restringenda odia, favores ampliandos.* » Cum autem ipse erga cæteras gentes *albæ amussis* officio

(1) Erasm. Epist. Francisco Vergaræ. — Basil., 13 oct. 1527.
(2) Basil., 16 sept. 1528.

sese fungi fateretur, doctorum rempublicam montium ac fluminum terminis dividi, partibus ac factionibus distrahi et in ὀλιγαρχίαν verti merito indignabatur. Omnes enim aiebat cives inter se habendos ac symmystas, quicunque iisdem studiis initiati sint (1). Ad hoc etiam stimulabant tum ab omni re ac religione, quæ sani judicii fines excederet, abhorrens animus; tum bonarum artium cura, quæ in pejus trahebantur; tum etiam Christianæ fidei (etsi nonnullis apud Erasmum suspectius hoc visum fuerit) studium (2), cum Lutherus ac cæteri ab Ecclesia dissidentes Romam, hanc alteram Babylonem, Paganitatis arcem et caput fieri prædicarent. Denique hortabatur ipsa, quæ in omni re dominatur, necessitas. Etenim Bembus, Longolius ac cæteri isti exquisitissimæ latinitatis aucupes, otia et temporum intervalla sibi constituebant, ita ut circa unam limandam epistolam aut orationem longas noctes diesque contererent Erasmo vero, qui quodam modo Europæ publicus orator haberetur, qui plerumque uno stans pede, ut ait ipse, raptim et cursim scriberet, non vacabat verborum ambages ac juncturas disquirere. Præterea non de Patribus conscriptis ac Populo Romano, nec de tribunis aut gladiatoribus, sed de præsentium temporum rebus, commodis et moribus, quotidie illi disputandum erat. Qui quidem stilo, non quasi calamistro, sed gladio magis, utebatur. Itaque acri, vivido, plurimo et ex tempore fluenti, qui recentioris ætatis necessitatibus responderet, sermone indigebat. Cum autem nondum esset ulla nova lingua

(1) Germano Brixio Epist., Basil., 6 sept. 1523.

(2) « Subolet autem et aliud hujus nominis prætextu geri, nimirum ut pro Christianis reddamur Pagani.» (Cic., Dial. præfat.)

quæ suppeteret, Latinam, non ut exstinctam et emortuam, sed ut vegetam adhuc et pubescentem, ideoque mutandam ac ditandam, acceperat. In hac vero periculosa novandi via quatenus impune progredi liceret satis quidem docuerat scholastica Barbaries. Majore certe detrimento quam fructu res sæpius agebatur. Sed, hoc extra controversiam posito, fatendum est tamen hanc Erasmianam latinitatatem nescio quid vividius spirare quam illas inanes et longe quæsitas Longolii cæterorumque munditias : adeo apte dicere eloquentiæ proprium est.

X. — His igitur omnibus causis permotus, Erasmus Ciceronianum dialogum, quo suam simul et libertatis causam ageret, composuit (1). Quo quidem in opusculo lepidissimis ingenii lascivientis salibus et jocis condito, multa quoque seria et mira judicii sagacitate expressa, vel de Antiquorum Imitatione, vel de Oratoria Arte, præcepta, qualia Fenelo postea descripsit, continebantur. Illud autem Joanni Ulateno, cui jam antea Tusculanarum quæstionum editionem obtulerat, tanquam ejusdem pietatis tenore, nec sine consilio, dedicavit. Namque in Præfatione (2) admonebat sibi non hanc mentem fuisse ut eloquentiæ candidatos a Ciceronis imitatione deterreret, nihil enim insanius fore ; sed tantum ut istos magni Oratoris simios, qui inepta stili affectatione ejus lineamenta, nec vero animum, referre studerent; se contra

(1) 14 feb. 1528.

(2) « In Ciceroniano meo non damno stilum Ciceronis, cui tantum *tribui semper*, ut huic admoti cæteri quamlibet eloquentes mihi viderentur obmutescere, sed ineptam affectationem Ciceronianæ dictionis. » (Erasm. Epist., Basil., 1 sept. 1528.)

ad id enisum fuisse ut ostenderet quo pacto Cicero vere posset exprimi, et ejus facundia cum Christiana pietate copulari. Neque illa certe Ciceronis admiratio jure in dubium vocari poterat, cum ipse, in Tusculanarum quæstionum præfatione, apud hunc Romanæ eloquentiæ principem non modo divinam quamdam sermonis felicitatem, sed etiam eruditi pectoris sanctimoniam laudaret, et, in *Convivio Religioso*, eodem inter sanctos cum Socrate posito, fere exclamaret : « *Dive Cicero, ora pro nobis!* » « Et fortasse latius se fundit spiritus Christi quam nos interpretamur. Et multi sunt *in consortio sanctorum*, qui non sunt apud nos in catalogo..... Non possum legere librum Ciceronis de Senectute, de Amicitia, de Officiis, de Tusculanis quæstionibus, quin aliquoties exosculer codicem, ac venerer sanctum illud pectus afflatum cœlesti numine. » (Colloq. famil. — Conv. Rel. 1524.) Præterea tot congestis in Barbaros telis, tot editis illustratisque antiquorum operibus, satis tutos quidem et amplos vades dedisse videbatur. Sed mortales, ut ait Sallustius, plerumque postrema meminere. Jam illa, quæ quondam bonarum artium causa meritus fuerat stipendia, in oblivionem ceciderunt. Continuo publicus hostis factus est, tanquam si

> Minxerit in patrios cineres, aut triste bidental
> Moverit incestus.....

Quænam vero fuerit hæc belli machina, unde, velut ex equo Trojano, tot iræ, simultates ac certamina delapsa sunt, explanandum.

XI. — Dialogus ille Ciceronianus in tres partes dividi potest, quarum ut cuique sua est materia, ita spe-

cies propria et diversa. In prima scilicet fabula quædam agitur lepida et faceta, nonnullis Molierii locis haud impar, cujus partes tuentur tres personæ : hinc *Nosoponus* Ciceronianæ pestis contagio læsus; inde *Bulephorus*, vir recti judicii, hujus insaniæ censor castigatorque; quem juxta sequitur comes et socius, secundas illi partes agens, *Hypologus*, qui eumdem morbum mentitur, ut exemplo suo postea, communicata etiam medicinæ contagione, ad sanitatem secum reducat Nosoponum : ab his igitur tribus personis dialogi nodus inchoatur.

Cujus in prooemio, velut in proscenio, ante nostra ora traducitur Ciceroniani persona, nonnullis sane lineamentis et coloribus maligne fucata et deformata, quam sustinet Nosoponus, homo quondam hilaris, obesulus, rubicundulus et omnibus leporibus scatens, nunc vero morosus, exsanguis, pallido ore cavatisque oculis : nam miserrime inexpleto nymphæ cujusdam, Tullianæ scilicet, amore colliquescit. Quibus autem laboribus, quot et quantis vigiliis ac lucubrationibus, antequam hanc adiret, sibi proludendum fuerit, dinumerat. Namque jam annos septem totos nihil attigit præter Ciceronianos libros, a cæteris non minori religione temperans quam Carthusiani temperant a carnibus. Ex his autem per hoc temporis spatium assidua lectione plurima volumina, futuræ latinitatis suæ materiam, extraxit, quæ duo bajuli vix tergo gestarent vel probe clitellati : aliud scilicet de omnibus Ciceronis voculis, aliud de pedibus « quibus incipit vel finit commata, cola, periodos »; aliud de variis modis, quibus verba usurpantur; aliud de verbis deflexis, derivatis et compositis. Omnes denique hujus eloquentiæ flosculos collegit ut, quibus posset, locis in-

sereret. Præterea salutandi aut resalutandi, consolandi, adhortandi, laudandi et dies mensesque notandi formulas, quas epistolarum initio vel fini addat, in promptu habet. His omnibus paratis, non sine quadam animi trepidatione ad Tullianam imitationem accingitur ille, cui summa sit vitæ felicitas, si modo hujus speciosi nominis decus vel septuagenario contigerit. Ad hoc vero multa servanda et cavenda sunt. Ita levissimo cibo, tribus scilicet aut quatuor passæ uvæ acinis, utitur; vino etiam abstinet, ne hujus ebullientis nebulæ mentis aciem obducant. Idem museum habet « in intimis ædibus, densis parietibus, geminis et foribus et fenestris, rimis omnibus gypso piceque diligenter obturatis, ut vix interdiu lux aut sonitus ullus possit irrumpere, nisi vehementior qualis est feminarum rixantium aut fabrorum ferrariorum » ; ne muscis quidem locum reliquit, neque uxorem duxit, ne aut ipse a studiis avocaretur, aut uxor neglecta maritum quoque negligeret. Ciceronem vero unum comitem, socium ac contubernalem sibi constituit, cujus opera, imagines, nomen, ubique, in atrio, in museo, in cubiculo versantur. Omnibus autem horis aut diebus promiscue Ciceroniano labori vacare non licet : quippe densior aut rarior aeris temperies, cœlique positio et lunæ defectus et labores, multa possunt obstare vel adjuvare.

Multis præterea, joci causa, adjectis, Nosoponus inanes hujus suæ operosæ artis nugas candida quadam animi simplicitate profitetur. In hoc autem dialogi procemio fere unus partes agit : cui interdum succurrit Bulephorus, ut, pauca sciscitatus, Socratis more plerumque in Platonis dialogis, ejus confessionem eliciat. Postea

vero ipse verba facit, ut contra disputet : unde fabulæ secunda pars exoritur.

XII. — Illa quidem, optima et maxima, non modo sales ac facetias, sed plurima quibus immoreris digna continet argumenta. Primo enim de Imitatione agitur. Hanc vero controversiam quasi per ambages furtim aggressus Bulephorus, Nosopono in memoriam Zeuxidis, illius celeberrimi pictoris, exemplum revocat. Qui quidem ex omnibus Græciæ partibus pulcherrimas puellas ad se venire jubebat, ut, his omnibus comparatis, Venerem suam effingeret. Ita cuique scribenti vel dicenti hinc et inde non ab uno, vel Cicerone, quamvis præstantissimo, perfectæ et absolutæ eloquentiæ simulacrum petendum esse. Nihil enim his in terris perfectum; hoc vero artis cujusque proprium, ut semper aliquid excelsius ultra res ipsas cogitet. Sic apud ipsum Tullium multa fuisse vel ab æqualibus et amicis reprehensa, tum a Bruto tumidam et Asiaticam ubertatem, tum a Catone salium facetam lasciviam, tum alia quoque ab Attico, cujus ipse *unguiculos et miniatulas cerulas* se metuere scribit. Neque illud mirum : quod si enim, ut ait Flaccus,

Quando bonus dormitat Homerus.

cur non ille quoque dormitaret? Ita Ciceronem in quibusdam libris, quemadmodum in Rhetoricis ad Herennium, sibi imparem videri, et nonnunquam etiam fere in solœcismos incidisse, cum dixerit nunc « *Erat animus ad te scribere* (1) », nunc « *In potestatem* esse pro

(1) Falsum crimen. Hoc enim proprie dicitur.

in *potestate* », et multa alia præterea. Neque sane tum optimum poetarum fuisse cum exclamaret :

O fortunatam natam me consule Romam!

Hac vero maxime solœcismi criminatione atrocissima tempestas in Erasmum exorta est. Neque defuere etiam qui hunc misellum versum, toties et plus æquo decantatum, ut præstantissimum et auribus jucundissimum, tueri contenderent. De hoc autem infra dictum erit : interim controversiæ summa resumatur.

Bulephorus igitur, postquam admonuit se quidem non in Ciceronem invidia locutum, sed magis ne male nostros amores collocemus, et, Ixionis instar, adamata Junone, inane nubis simulacrum amplectamur, quibus tandem legibus proba et æqua constet imitatio, disserit. Hanc scilicet dissimulandam, non vero ostentandam; neque in verbis, sed in rebus ponendam : non igitur reddenda tantum Ciceronis lineamenta, habitum, dictiones, eorum discipulorum more qui adductis humeris Platonem aut subbalbe dicendo Aristotelem referebant; sed magis sensus, argumenta, sententias, rationes denique, quibus maximus orator factus est, recipienda, ita ut ejus ipse animus in nostris scriptis spirare videatur. Illud enim imitandi genus *simiorum*, hoc vero *hominum*, proprium esse. Nec satis quidem fieri si modo inani verborum concentu audientium aures recreentur. « Plurimum enim, inquit (1), interest inter histrionem et oratorem. Illi delectasse satis est; hic etiam prodesse studet, si modo vir bonus est. »

(1) Cic. Dial.

Quomodo igitur prosit orator, nisi apte dicat : quod eloquentiæ maximum est? Quomodo vero apte dici possit, nisi sermo personis aut temporibus congruat? Nempe ex quo vita decessit Cicero, in his terris evenere novæ res, novi usus, nova hominum societas, nova denique religio; orbis fere totus Christianus factus est. Novis igitur verbis utendum.

Omnibus enim ita mutatis ac renovatis, « quid frontis, exclamat Bulephorus (1), habeat ille, qui a nobis exigat ut per omnia Ciceronis more dicamus? Reddat is nobis prius Romam illam quæ fuit olim; reddat Senatum et Curiam, Patres conscriptos, equestrem ordinem, populum in tribus et centurias digestum; reddat augurum et aruspicum collegia, Pontifices maximos, Flamines et Vestales, Ædiles, Prætores, Tribunos plebis, Consules, Dictatores, Cæsares, comitia, leges, senatus-consulta, plebiscita, statuas, triumphos, ovationes, supplicationes, fana, delubra, pulvinaria, sacrorum ritus, Deos Deasque, Capitolium et ignem sacrum; reddat provincias, colonias, mancipia et socios Urbis rerum dominæ!... Sed jam *nunc Roma Roma non est*.... Christiano mihi dicendum est apud Christianos de religione Christiana : num, ut apte dicam, imaginabor me vivere ætate Ciceronis, et in frequente senatu, apud Patres conscriptos, in arce Tarpeia dicere, et ex orationibus, quas in senatu dixit Cicero, voculas aliquot, figuras et numeros emendicabo! » His scilicet vocibus maxime Longolium ejusque æmulos increpabat. Post hanc autem vividam et facundam exclamationem, ut aliquando ma-

(1) Ibid.

teriam exhilaret, oratorem inducit de Christi redemptione Ciceroniano more dicentem. « Fingamus igitur exemplum, hanc sententiam : Jesus Christus, verbum et filius Æterni Patris, juxta prophetas venit in mundum, ac, factus homo, sponte se in mortem tradidit, ac redemit Ecclesiam suam, offensique Patris iram avertit a nobis. » Sic efferet Ciceronianus : « Optimi maximique Jovis interpres ac filius, servator, rex, juxta vatum responsa, ex Olympo devolavit in terras, et, hominis assumpta figura, sese pro salute Reipublicæ sponte devovit Deis Manibus, atque ita concionem, sive civitatem, sive Rempublicam suam, asseruit in libertatem, ac Jovis Optimi vibratum in nostra capita fulmen restinxit. » — Quid autem insanius aut magis risu dignum excogitari possit? Nonne, si reviviscerct Tullius, nova verba usurparet et aliter de Christianis rebus quam de sua religione loqueretur? Quod igitur ille egisset, ejus quoque æmulis agendum est, si modo dici velint merito Ciceroniani. Ita enim jubent et temporum necessitas, et sana mens, et eloquentiæ decus, et præsertim veræ fidei, quæ labefactari cœpit, utilitas. Utrum quidem Christianæ religioni semper bene consuluerit Erasmus, certe ambigi potest. Fatendum est tamen in hac agenda causa omnia tentavisse, ut illam exundantem eruditæ paganitatis illuviem, quæ tum Christianam eloquentiam obruit, coerceret. Hoc saltem illius laudi ac memoriæ tribuatur.

XIII. — In tertia dialogi parte, ut tandem his argumentis ipsius experimenti addat auctoritatem, quantula eruditorum portio, vel apud antiquos vel apud recentiores Ciceroniana dici possit, recensere aggreditur. Primo igitur ne *Ciceronem* quidem, si hoc modo no-

men usurpari licet, *Ciceronianum* fuisse demonstrat; idem quoque de Cæsare, de Sallustio, de Tito Livio, de Quintiliano, cæterisque romanæ eloquentiæ principibus; pariter aut etiam magis Ecclesiæ Patres et maxima Mediæ Ætatis ingenia, Hyeronimum, Augustinum, Bernardum Thomamque, ab hujus nominis consortio amoveri. His tandem prioribus breviter ac cursim perlectis temporibus, ad recentioris ætatis et æquales suos eruditos venit, quorum centurias, permixta quadam nominum farragine, recognoscit. Quæ quidem recensio præcipue tum novitate rei, tum judicii libertate, notanda est. Idem enim ille tot controversiarum agitator, tot ridiculorum insectator, tot facetiarum auctor, nunc etiam famæ largitor ac minister, gravia et ampla ipsorum doctorum nomina in publica trutina ponere videbatur. Opus quidem arduum et periculosum, hac præsertim ætate, qua gens quæque sibi suisque principatum ac dominationem vindicaret. Erasmus autem omnes æquo pede ac modulo metiri audebat. Cujusquidem censura per totam Europam peregrinatur. Italiam primo, ut præcipuam vel ipsa antiquitate bonarum artium sedem, adit. In qua Petrarcham, Poggium, Leonardum Aretinum, Lascarim, Angelum Politianum, Paulum Æmilium, Picum Mirandulanum, multosque præterea alios, vere non Ciceronianos, nec ideo contemnendos, æstimat. Ex Italia vero migrat in Galliam, ubi Budæum simul et Badium laudat : quæ nominum et laudum societas postea, ut infra narrabitur, maximam irarum molem in Erasmum concitavit. Mox etiam Anglicis oris appellit, ubi invenit Thomam Morum, suum amicum et sodalem, et regem ipsum Henricum, « *qui non solum præmio excitat bene*

nata ingenia, verum etiam exemplo suo quamlibet pigris subjicit calcaria, duobus libellis testatus quantum et faveat pietati, et ingenio facundiaque polleat. » In Dania postea Saxonem Grammaticum, in Zelandia Adrianum Barlandum, nominat. Neque Hollandiam ipsam, cujus ipse orator est, nec suum nomen aut imaginem omittit. Quamquidem levissima et liberrima manu, nec ulla gloriæ ambitione fucatam, nec falsa verecundia minutam, ita describit : « Erasmus scilicet abjicit ac præcipitat omnia, nec parit, sed abortit, interdum justum volumen scribit stans pede in uno, nec unquam potest imperare animo suo ut vel semel relegat quod scripsit, nec aliud quam scripsit scribat, cum, post diutinam lectionem, demum ad calamum sit veniendum, idque fit raro. Quid quod ne affectat quidem Tulliano more dicere, non abstinens a vocibus theologicis, interim ne a sordidis quidem. » — Mox autem alio conversus, productaque peregrinatione, in Germania Melanchtonem, amicum suum, indicat, « quo quidem ingenio nihil esset felicius, si totus musis vacasset ». In Sarmatia ipsa Andream Critium, atque, omissa Lusitania, ubi Osorium invenisset, qui Cicero Christianus dictus est, in Hispania Vivem primo præteritum, postea adjectum (1), notat, qui fere unus inter doctos Erasmi signa, post editum dialogum ab omnibus deserta, fortiter secutus est, et ipse pro virili parte in *quinto de corruptis Artibus Libro* militavit. Cujusquidem commilitium non sane dedignandum erat, cum inter hujus ætatis viros vulgo Budæo ingenii, Erasmo facundiæ, Vivi autem judicii provincia, quasi proprium munus, tribueretur.

(1) De his vid. Erasm. Epist. Joanni Ludovico Vivi Valentino, 2 sept. 1528.

Postquam igitur hos omnes Bulephorus a Ciceroniana cohorte segregavit, ad illum tandem delectum et exquisitum Italorum florem, qui Ciceroniani dicuntur, respicit. Ante omnes scilicet Longolium aggreditur, quocum olim amicitiam et epistolarum commercium inchoaverat. Ille vero, ex quo civitate Romana donatus erat, ut plerumque solent homines dulci fortuna ebrii, Batavum oratorem, quasi ipse natus esset Athenis, cœperat dedignari. Præterea jamdudum supercilio quodam et gravi taciturnitate Erasmo, homini hilari et lepido, minime placuerat, cum per tres dies, quos cum illo egerat, ne in conviviis quidem semel visus esset subridere (1).

Itaque hunc amplissimum Romanum civem Bulephorus acriori censura insectatur; cujus inanem titulum irridet, ita ut ipse civis malit esse Basileensis. Mox etiam hujus luculenta et perpolita mordet opera, quæ paucioribus manibus quam Batavi oratoris næniæ teruntur. Sic apud eum inanes verborum tragœdias, et præposteræ eloquentiæ somnia, et ludicras orationes in Capitolio habitas, et Philippica illa in Lutheranos Tulliano more contorta fulmina, sed interdum fumida et subobscura, ac tandem in epistolis jocorum urbanitatisque frigus corripit et lacessit. Verum Bembo et Sadoleto, ut amicis, parcit, quorum humanitatem laudat, et singularem ingenii candorem in oratione, velut in speculo, relucentem : hoc tamen addito, Sadoletum scilicet ne a

(1) Erasm. Epist. Basil., 1529.

theologicis quidem vocibus abstinere, ideoque non omnino Ciceronianum haberi posse. Denique in novissima serie Pontanum et Actium Syncerum inter Ciceronianos poetas his temporibus maximo in honore habitos recenset. Quorum libellis et numerosis concentibus vel unam Prudentii odam, *Jesum modulantis*, fatetur sibi longe potiorem videri (1), cum illis defuerit quæ præcipua pars est eloquentiæ, *apposite dicere*, et perpetuo in sacris hymnis profanas fabulas, Apollinem, Musas, cæterosque Deos ac Deas concelebrent.

Hoc igitur functus censuræ ministerio, Erasmus, quæ antea de imitatione et eloquentia dixit, ea in unum paucis verbis colligit ac retractat; iterumque in dialogi fine obtestatur sibi non hoc fuisse propositum ut Ciceronis laudi et auctoritati detrimentum afferret, cum ipse cum admiratione et studio semper fuerit prosecutus.

XIV. — Omnibus ita temperatis et segregata Ciceroniana factione, ille quidem speraverat contra istam minutissimam Italorum manum universam aut maximam eruditorum Gallorum, Germanorum, Anglorum, Hispanorumque, omnium denique Transalpinorum, aciem sub iisdem signis educi posse. Res autem ipsa fefellit exspectationem : quippe obstitere doctorum superstitio, et, quæ novissima exuitur ambitio. Quosquidem læserat illud summum censuræ imperium ab Erasmo affectatum, etsi maximo urbanitatis et humanissimo laudum temperamento mitigatum. Nondum enim hujus ætatis, ut nos-

(1) « At ego malim unam odam Prudentii modulantis Jesum quam navem onustam versibus Pontanicis. » (Cic. Dial.)

træ, eruditos, genus irritabile, exercuerant publicæ censuræ aculei. Itaque vel leviter puncti reclamabant isti, querentes scilicet, quod nos docet Erasmus (1), « in hoc catalogo alios silentio præteritos quos non oporteret; alios secus attactos quam par esset ; alios infra meritum, alios supra meritum, prædicatos » ; omnes denique iis laudibus, quæ sibi negarentur, vel darentur cæteris, invidentes. Quæ privatæ simultates publico bello accessere, ita ut multi, dum suam injuriam ultum ibant, Ciceronianæ laudis curam prætexerent.

(1) Erasm. Epist. Basil., 1529

II

QUIBUS FORTUNÆ VICIBUS BELLUM ACTUM FUERIT.

XV.—Inde igitur universum per totam Europam exarsit incendium. Vix autem memoratu credibile est quot crimina, libelli, versiculi, epigrammata et orationes in Erasmum, quasi grandines, undique perpluerint. Gallia et Italia simul copias eduxere: hæc ut Ciceronianæ laudis gentile patrocinium, et civitatis Romanæ jus ac dignitatem, et Longolii, Pontani, Syncerique ac cæterorum famam defenderet; illa ut Budæi cum Badio turpiter commissi læsam majestatem tueretur. Ita, iniquo fati momento, Gallia illa, cujus Erasmus primo commilitium sibi speraverat, cui etiam, si Budæo placuisset, summum futuri belli imperium detulerat, primo in Batavum oratorem arma movit. Cæterum, præter gentilem invidiam, nonnullæ jamdudum inimicitiarum causæ interciderant. Quippe Erasmo apud Academiam Parisiensem multæ controversiæ, vadimonia et judicia fuerant sustinenda; præterea plures Itali, quos vel a rege accitos, vel bello expulsos, melioris fortunæ spes in Galliam traxerat, sociis et alumnis stimulos addebant; denique ad conflanda odia vigilabant Aleander et Beda, ambo perpetui Erasmianæ vel religionis vel philosophiæ

vel eloquentiæ criminatores (1), ambo ex his sycophantis, qui inter publicas turbas simultatibus et calumniis aluntur. Per quos non stetit quin Franciscus ipse Gallorum rex, majestatis causa, ab Erasmo pœnas exigeret. Ille autem, qui jam antea huic illustrissimo viro, etsi Batavo, regii collegii principatum ac regimen obtulerat, istius allatrantis factionis clamoribus minime facilem aurem commodavit. Nec tamen bellum eo minus sævire cœpit et in omnes partes debacchari.

Vix enim nefarius ille Dialogi Ciceroniani libellus Lutetiæ excusus erat, cum ad Erasmum Germani Brixii, unius e familiaribus,

> Anxia præcipiti devenit epistola penna (2),

qua nuntiaretur tumultum Gallicum exortum esse, omnes Erasmianos jam terga dedisse, inimicos gaudere, amicos terreri et labefactari, vix unum aut alterum molliori lacerto ducis famam ac decus tueri; hinc præsertim magnam irarum tempestatem conflatam esse, quod Budæus cum Badio, ignominiæ causa, ut Thersites cum Achille, commissus videretur; jamque per omnium ora volitare hos Tusani regii professoris, in Erasmum versiculos:

> Desine mirari quare postponat Erasmus
> Budæum Badio : plus favet ille pari.

Ad hæc adjiciebat Germanus se ita Erasmi dignitatem defendisse, ut ipse egeret defensore, ac tandem obsecrabat et obtestabatur ut, vel mutato ad Budæum per-

(1) De Aleandri et Erasmi jurgiis vide Mazuchelli (Scritori d'Italia, t. I, p. 415).
(2) German. Brix. ad Erasm. Epist., 12 Aug. 1528.

tinente loco, vel epistola aliqua ad hunc vel illum missa, et postea edita, tantos tumultus pacaret.

XVI.—Quibus acceptis litteris, Erasmus primo mirari, mox dolere, quod vix constituta litterarum Respublica, quemadmodum christiana religio, factionibus et partibus scinderetur ; ac præsertim detestari *illos semi-sciolos*(1), *istas picas et graculos*, *aves inauspicatissimas*, quarum clamoribus novæ arderent discordiæ. Hos igitur animi dolores, has querelas Germano Brixio transmisit longissima et maxime notanda, quæ Ciceroniani dialogi defensio haberi posset, epistola (2). In hac enim pleraque illata præcipue de Budæo crimina refellebat: quippe sibi nunquam fuisse mentem aut consilium ut Galliæ, *in quam animo semper fuisset propensiore*, aut Budæo, quem, etiam famæ et capitis periculo, Italis prætulisset, quem in re litteraria appellasset *Coryphæum*, injuriam afferret ; neque se omnium doctorum virorum censuras aut encomia suscepisse ; ob id tantum vero Budæum cum Badio commisisse, quod uterque Gallus, uterque Lutetiæ viveret : has autem omnes falsas et ridiculas esse criminationes ; quod si enim Budæi lagenam cum Badii lagena contulisset, eosdem clamaturos læsam Budaici nominis majestatem ; ergo non sibi causam esse cur cum Budæo de talibus næniis in controversiam iret ; hujus autem viri egregii et illustrissimi tum judicio, tum benevolentiæ et gratiæ sese confidere ; satis tandem superque esse quod iste rumor ad regis aures dimanasset, quasi deessent illi negotia, nisi his nugis cogeretur animum intendere.

(1) Erasm. Epist. Petro Decimario. Basil., 16 sept. 1528.
(2) Erasm. Epist. Germ. Brixio. Basil., 6 sept. 1528.

In hoc vero discrimine Budæus, vir cæterum simplex et in studiis totus, tamen vel falsis deceptus criminibus, vel Badii vicinitate, quasi contumelia, læsus, vel propter quoddam verbum de *asse* joci causa dictum offensus, paulo subirasci visus est. Jam antea nonnihil suspicionis interciderat. Erasmus quidem laute eum laudaverat ; sed hoc famæ suæ patrocinium ab Erasmo affectatum et sæpius decantatum Budæus moleste tulerat. Unde inter eos‘stei non eruperant, suberant tamen nonnulla dissidii semina ; mox etiam acriora dicta exorta sunt. Sed, adjuvantibus utrinque Germano Brixio et Ludovico Berquino, amicitia post annum restituta est. Erasmus ipse, minime superbiæ vel inimicitiarum tenax, ultro ad Budæum scripsit : « Vide (1) quam magnifice de tua æquitate sentiam, eruditissime Budæe, qui non alium mihi patronum delegerim quam eum cui reus existimor, et cujus injuriam videntur isti ulcisci. » Budæus contra, eodem animi candore et libertate, se in fraudem nimia simplicitate sæpius incidisse, professus est.

XVII. — Composito tandem hoc privato dissidio, bellum civile recrudescere cœpit. Etenim ad hunc diem versiculis, epigrammatibus, et, ut ita dicam, missilibus telis pugnatum erat. Sed jam nonnulli graviorem injuriarum et maledictorum molem in Erasmum impingere parabantur. Quos inter Ciceronianæ laudis propugnatores maxime et in primo agmine emicuit Julius Cæsar Scaliger, vir quidem non ignobilis, sed singularis ingenii, multæ doctrinæ, sed majoris arrogantiæ, perpetuæ de se suisque jactantiæ, scurrilis aliquando in profun-

(1) Erasm. Epist. Basil., 1528.

dendis verbis licentiæ ac vehementiæ, multiplex cæterum, cum idem grammaticus, medicus, philosophus et aliquantulum miles fuerit, sed hac omnium artium farragine ita refertus, ut eas plerumque gloriolæ magis quam utilitatis causa promiscue ostentare videretur. Hunc vero nondum fama celebrem, et non tam otii quam silentii impatientem incitabant, præter discors ingenium controversiæque studium et linguæ proterviam, tum spes gloriæ assectandæ, si Erasmum tanto nomine circumdatum vel profligaret, vel læderet, vel solum paribus telis ad certamen cogeret, tum gentilis et avitæ laudis cura, quam ipse Verona oriendus, etsi Agenni, ubi uxorem duxerat, in Gallia habitaret, tueri aggressus est.

Attamen ab excuso Ciceroniano fere tres anni elapsi sunt, antequam hoc pium munus susciperet, quod Agenni, velut in extremo terrarum orbe, remotus, nefarium hunc dialogum frustra quæsiverat; *adeo mercatores*, ut ait ipse, *vel ad Erasmi nomen exhorrescebant!* (1) Post hoc igitur temporis intervallum, intonuit tandem vehemens et furibunda illa declamatio, qualem nunquam Catilina, dum patriæ cædem, incendia et ruinam moliebatur; nec Antonius, cum Italiam ferro et igne vastaret, suscitaverant. In hac cæterum secundam Ciceronis Philippicam maxime secutus fuerat; nec infeliciter quidem, omissis sententiis et argumentis, quæ plerumque sunt ridicula, Tullianæ orationis vultum et habitum expresserat.

Ad Gallicam juventutem magnifice et composite proœmiatus, sibi veniam petit propter ingenii infirmitatem

(1) Præfat. Orat. in Erasm.

et animi lenitatem, qua forte huic tanto sceleri castigando et refrænandæ impudentiæ impar visus fuerit. Mox autem curat ne vehementia longius desideretur. Namque aggestis in Erasmum criminibus, conviciis et maledictis, enarrat ut ille, exuto religionis sacramento, fugitivus apud Italos parasitum egerit; ut in Aldi officina legendo semi-hominis, potando autem Tergemini Geryonis operam præstiterit; quot in Moriæ Encomio et colloquiis impia verba et sacrilegos risus profuderit; ut tandem, labefactato veræ pietatis statu, contemptis et in ludibrium versis Jesu Christo et Deo Patre, per eam immanitatem ad subvertendam Tullii gloriam sibi gradum fecerit. Præsertim vero civitatis Romanæ, cui Basileam anteponere ille ausus esset, et Italorum suorum injuria commotus, Germanos et Batavos super ebrietate male audire commemorat : unde Erasmo Ciceronianorum sobrietas sane ludo ac joco fuerit. Mox autem ira ingravescente : « *O monstrum*, *exclamat*, *quo te nomine appellem?* » Nec tamen illi deest plurima et horrida nominum seges, cum eumdem *helluonem*, *nebulonem*, *canem*, *parricidam*, *carnificem*, *anum corniculam auctorum oculos effodere conantem*, ac denique, ut injuriæ cumulum addat, *Batavum* vocet. Postquam tandem largo verborum flumine stomachantis animi virus evomuit, Ciceronianorum et Ciceronis causam agere incipit. Quaquidem in orationis parte nonnulla seria et majore studio digna invenire est, sive cum veram Ciceroniani imaginem, ab Erasmo depravatam, restituit; sive cum Ciceronem, A. Gellii exemplo, solœcismi reum defendit; sive præsertim, cum Sallustii nimium decantatam brevitatem, non sine quadam judicii audacia et no-

vitate, redarguit, cui Ciceronem et Titum Livium etiam anteponat. « Adeo decantatam in illo viro brevitatem nunquam comprehendi..... Nam si quoniam frequentibus asyndetis utitur, aut quod non longis periodis scribit argumenta, properare tibi videtur, isto tibi quoque pacto brevibus atque interceptis saltibus centum milliariorum iter minus longum videbitur quam unius modo stadii intervallum, quod uno spiritu confeceris. » (Scal. Orat. prim. in Erasm.) Sed hoc sano disputandi et ratiocinandi tenore non diu usus (prohibet enim animi et linguæ impotentia), mox iterum invehitur, et eadem animi alacritate, qua Tullius Catilinam victum, abjectum et loco deturbatum ostendebat, velut hoste profligato : « Hem! exclamat, Erasme! quanto pudore tuo, quanto gloriæ tuæ periculo *ab juvene homine* (1), a rudi oratore, a non oratore, *a milite*, ab Italo, ab eo qui pervelit se dici et esse Ciceronianum, docearis. » In hoc exsultat et triumphat ejus oratio. Tum etiam veterem Italorum ac præsertim Scaligeranæ domus virtutem celebrat, Achillem, Herculem, Bacchum et Scaligeros,

Omnes cœlicolas, omnes supera alta tenentes,

commemorat, et tandem Erasmi detestando capiti diras imprecatus, juvenes hortatur ut e maledicentissimi hominis acerbitate felicissimam optimi viri memoriam eripiant.

XVIII.—Erasmus, vix allata ejus libelli fama et opere degustato, hanc novam fraudem ab Aleandro et Beda instructam esse ; Scaligerum autem operam obstetriciam

(1) Julius Cæsar Scaliger quatuor tamen et quadraginta annos jam tum natus erat. Sero quidem juvenis !

dedisse, et ab aliis consutum induisse calceamentum, suspicatus est. Quippe nonnullas Aldini convictus voculas aut dicendi formulas sibi videbatur odorari. « Bedæ (1), inquit, magis irascor quam illi, quisquis fuit, furioso. » Alio loco, contra fatetur Bedam huic edendo libello contrarium fuisse, sed Aleandrum insimulat. Nec postea, vel allatis maxime certis argumentis, hanc opinionem omnino exuere visus est (2). Quod pluribus in epistolis ejus patet, et in hac præsertim, quam P. Merbelio Joanni et Baptisto Laurentio scripsit, sequente hoc sigillo : *Erasmus manu mea*, et super additis his gallice verbis : « *A monsieur Scaliger, demeurant à Agen.* » Cæterum se cum talibus viris in certamen nunquam iturum admonebat.

Verum (3) si Josepho Scaligero, Julii Cæsaris filio et male certo de hac controversia auctori, fides adhibetur, hoc tanto juvenis ictu commotus Erasmus jam omne sui nominis decus ademptum iri exclamavit, nisi, prærepto et combusto hoc libello, labefactatæ famæ amici et socii succurrerint. Quodquidem nobis minime verum ac fide dignum videtur, cum Erasmus toties has inanes verborum tragœdias derideat, fastidiatque, et amicos suos, ne cum talibus decertent ingeniis, adhortetur.

Apud eumdem Josephum Scaligerum legitur inde maxime patrem iratum fuisse, quod ab Erasmo ignominiæ causa *miles*, id erat *indoctus*, dictus esset. Cur autem hoc nomine læsus fuerit ille, non facile concipi

(1) Erasm. Epist., Friburg., 1533.
(2) Alio Epistolarum loco : « Aleander denuo emisit librum furiosum sub nomine Dolcti. » (1535, 2 sept.)
(3) Scaligerana, p. 140 et seq.

potest, cum de se ipso hos magnificos versus ediderit :

> Hic est Scaliger ille quem solebant (1)
> Armatæ fugere et timere turmæ !

De hoc vero satis dictum.

Res igitur Scaligero male cesserat, quum hinc falsus orationis auctor haberetur, inde autem Erasmum in aciem trahere non valuisset. Sed non is erat qui ab insectatione facile avocaretur. Quo magis ille silentio perstabat, eo acrius hic urgere, lacessere, mordere, epigrammata jaculari, aliam orationem moliri (2), cœlum et terras miscere, crebris simul et bellicosis epistolis, quas postea undique magno pretio collectas filius piis flammis tradi curavit, omnes Parisiensium gymnasiorum præsides, doctores et discipulos in communem Reipublicæ hostem incitare, et, sublato Ciceronis signo, ad sacrum bellum provocare. Nihil sane excogitari potest singularius aut magis risu dignum illo animi et eloquentiæ æstu, quo tum universæ academiæ Parisiensis rectorem in partes suas trahere (3), tum Natalis Bedæ memores iras suscitare (4) ; tum Navarrensis, Montis Acuti,

(1) Jul. Cæs. Scal. Epigram.

(2) « Scaliger Lutetiæ edidit aliquot selecta e tribus millibus epigrammata. Præfatur in his nihil esse dentis quod ingenium ipsius semper abhorruerit ab omni mordacitate. Exspectat responsionem meam, et jam *paravit aliam orationem.* » (Erasm. Epist. Roberto Viglio Zuichemo Phrysio. 1533.)

(3) « Erasmus convertit tumultuantem adhuc rabiem in tuos milites, et nunc infandis colloquiorum argumentis lacerando, nunc epistolis incessendo, nunc ineptis titulis insectando totam Parisiorum academiam vexavit.» (Amœnit. litterariæ Schelborn., t. VI, p. 512.)

(4) « Pari enim insolentia atque petulantia furere orsus est (Erasmus) adversus Ciceronem, quantam impietatis aciem contra Dominum Deumque nostrum distrinxerat.» (*Ibid.*)

Bonorum Infantium, Plessiaci ac Divæ Barbaræ collegiorum studiosos juvenes incendere (1) laborabat. His enim singulis et omnibus acerrimas ad pugnam hortationes iterabat, quibus assidue memoraret Erasmum Gallico nomini infensum esse (2) ; se contra *ab incunabulis istas Parisiorum illustres atque admirabiles academias semper parentum loco habuisse*, et maximo amore ac pietate Gallicam juventutem amplecti, adeo ut sui ipsius nominis periculum cum eorum eloquentiæ discrimine commune habere, et hos tandem bonarum artium fautores sibi judices constituere minime dubitasset. Cum autem, his blanditiis et adhortationibus frustra consumptis, hujus studiosissimæ juventutis tam laudatæ ac celebratæ resides animi languerent, nec plurimi tirones conscriberentur, tum magno dolore percitus ille, dux sine milite, nec fractus tamen, quasi unus, cæteris silentibus, labefactatæ eloquentiæ laudem fulciret, omnibus collegiis amarulentam misit epistolam (3). Qua-

(1) « Certe amorem meum ac potius caritatem erga vos nulla unquam delebit oblivio.» (Scal. Epist. illustri collegio Bonorum Infantium. (*Ibid.*)

(2) « Non enim uni Ciceroni maledicit Erasmus, sed vos quoque, quos scimus omnium bonarum artium fautores, insectatur, *infensus toti nomini Gallico*, sive quod id Germanis peculiare fuit, sive quod eam gloriam præreptam sibi ægre tulit, sive quod religionem nostram lacerando meritus est, quem moderatores vestri publice damnarent.» (Idem studiosis adolescentibus collegii Divæ Barbaræ.)

(3) « Cum enim, aliquot abhinc mensibus, omnibus vobis communem misissem orationem, qua Erasmiana calumnia procul a Cicerone propulsatur, privatimque ad Navarrense collegium litteras atque exemplum dedissem, rursusque nuntium meum, responsa ut acciperet, illuc destinassem, neque concilium indictum comperit, quod, cum prius recederet, polliciti fuerant, neque qui re-

quidem, veluti suprema appellatione, juvenes obsecrabat uti litterarum reipublicæ periclitanti succurrerent, et sibi præsertim responsum darent, ne eorum silentio damnatus videretur. « Scilicet, exclamabat, Ephesium incendi templum!...... Unius rei gratia hæc ad vos scribo. Velim enim me certiorem faciatis velitisne vestro nomine, quos judices mihi constitueram, eam orationem circumferri, an alio quopiam; quod jam mihi esse præsto sentio : alioqui novo exemplo jam edendam curassem. »

XIX. — In hoc autem non tantum forte Tullianæ quantum suæ gloriæ cura eum remordebat, cum maxime summam Imperii et confecti belli titulum affectare videretur. Quod re ipsa brevi compertum est.

Namque mox illi duo commilitones accessere, Julius scilicet Camillus et Stephanus Doletus. Quorum alter Italia oriundus, mediocri ingenio, sed plurima lectione refertus, in Gallia sibi sedem ac rem paraverat, Francisco Primo rege adjuvante ; alter vero Gallus origine, scriptor simul et Lugduni librarius, indole singulari, tum inquieto et pugnaci ingenio, tum animi quadam tristitia et acerbitate, litterarum simul et religionum factiones secutus, erro, pauper, exsul, cujus vita in rogo atrocissimum exitum habuit, vir quidem ad meliora natus, si pacis non impatiens, felicitatis capax, ac sui compos animus ei contigisset. Horum autem amborum libelli iisdem fere, quibus Scaligeri oratio, conviciis et criminibus scatebant : nempe Erasmum ad id

sponsum darent invenit, neque, cum exemplar repeteret, saltem redditum est.» (Scal. Epist. collegiis omnibus. *Ibid.*)

contendere, ut, deturbato Tullio, summum eloquentiæ locum usurparet; eumdem olim apud Aldum semi-hominis officio functum fuisse ; eumdem nunquam Aristotelis opera attigisse (1); eumdem sacrilegi, latronis, parricidæ partes agere. Quæ singula Erasmus æquo animo tolerare statuerat, ita ut, quos non voce ac risu vulnerabat, silentio et fastidio tutius devinceret. « Nunc narrant, inquit, Lugduni excusum librum acidum in me (2), auctore Stephano Doleto, cujus exstant orationes et epistolæ, stomachis magis cavendi quam movendi. Eum nondum vidi, et, si videro, non est animus respondere. »

Non hac vero æquanimitate usus est Scaliger. Namque Camilli, ut Itali hominis, commilitium tulerat; sed Doletum proprio nomine, nec recepta tessera, bellum resumere indignatus est, quasi parta laurea ipse fraudaretur. Præterea Doletus in Tolosam et Vascones, quorum civis Scaliger factus erat matrimonio, duas orationes acerbas scripserat. (Vid. Dol. epist. Arnoldo Ferroni.) Itaque una et eadem invidia complexus est et Ciceronis hostem et præposterum defensorem, *quem non puduerat flexu alio orationis omnia ipsius argumenta suffurari et ineptissimis inurere calamistris* (3). Quin imo eum, in hac secunda oratione, quam Erasmi capiti instare jamdudum minitabatur, acerbe perstrinxit, sublato quidem nomine, sed ita depictum ut vel ab infantibus Tolosanis agnosci posset. Hoc vero maxime

(1) Stephani Doleti Dialogus de Imitatione Ciceroniana adversus Desid. Erasmum pro Christ. Longol., Lugd., 1535.
(2) Erasm. Epist. Merbelio, 15 mart. 1535.
(3) Scal. Epist. Arnoldo Ferroni, kal. febr. 1535.

Doleto invidebat, quod ille quadam superbia apud se Ciceronis animum migravisse prædicaret; cujus dicti protervianı hoc epigrammate refellere aggressus est :

Antoni comites, tuque, o Catilina, Cethegi
Et Clodii cineres, et malesana cohors,
Exilio ac cædi Ciceronis parcite ! pejus
Disperit, illam animam quando Doletus habet.

XX. — Dum hæc in Gallia agebantur, Italia quoque acerrimo bello fervebat. Ibi enim non tantum docti et scholastici, sed tota gens ipsa, ut ita dicam, pro aris et focis dimicabant. Viæ, compita, gymnasia, templa, theatra et convivia uno fere nefarii Erasmi nomine resonabant; fiebant autem, magistris hortantibus, juvenum conjurationes (1), quæ gentilis eloquentiæ et Tulliani nominis decus in communem hostem tuerentur. In hoc tamen universo tumultu Bembus, etsi apud Italos Ciceronianorum dux habitus, sive propter amicissimam cum Erasmo conjunctam familiaritatem, sive quod ab atrocissimis discordiis humanior animus abhorreret, susceptam olim cum Pico Mirandulano controversiam renovare non tentavit. Quippe qui, cum *propter mutatas cærimonias* (2) tantos religionum tumultus concitari doleret, non certe magis Tullianæ quam Christianæ disciplinæ nomine in hac placida litterarum republica turbas ac factiones conflari æquo animo ferebat. Ergo non destitit cum Batavo oratore eodem uti litterarum commercio. In quibus vix ulla hujus belli indicia invenias, quasi

(1) Erasm. Epist. Domino a Goes, 21 maii 1535.

(2) « Perturbari tua studia tumultu prope bellico convellique, ut audio, vestrum omnium veterem in Deum Opt. Max. cultum cærimoniasque sacrorum a majoribus nostris per manus traditas moleste tuli.» (Bembi Epist. Erasmo, Roterodami, lib. VI, p. 228.)

utrinque pacem ac silentium de hac lite alter alteri condonaret. Eadem modestia usus est Sadoletus, cum Erasmo simul et Bembo amicitia conjunctissimus. Non ita contra Lascaris, quocum Erasmus olim apud Venetos familiaritatem iniverat : hujus enim mordaciores versiculi per totam Italiam volitabant. Interea multi litterarum veterani aut tirones in hoc bello stipendia merebantur. Quorum non modo libellos, sed nomina ipsa referre longum sit et supervacaneum. Satis igitur habeamus in hoc primo Italicæ legionis ordine, præter illos de quibus diximus, nominari *Longum* quemdam doctorem, non calamo, sed lingua ex cathedra militantem; et *Petrum Curtium*, in Academia Romana rhetorem, acidioris libelli auctorem, quem olim Erasmi amicum recentioris controversiæ de sacris studiis memoria ad bellum renovandum impulerat. Jam tum Erasmus eum *per viscera Christi*, ne nova dissidia propter voculam quamdam impressorum incuria depravatam (1) moveret, obtestatus fuerat, his adjectis cæterum verbis (2) : « Quod si cognovero, quod equidem non spero, te vel tantillum contra me publicare, experieris (ni fallor) Erasmum, jam LXX annos natum, neque edentulum esse omnino neque exsanguem (3). » Quibus sane minis non permotus Curtius, rursus certamen de Cicerone adire non dubitavit. Erasmus vero non id quod minatus fuerat, ut iterum ille dentis vim sentiret, perfecit,

(1) De hoc scilicet ambigebatur : Utrum divus Paulus in Italiam venisset; negligentia typographi, qui *Italiam* pro *Attalia* expresserat.

(2) Erasm. Epist. Petro Curtio, *amico singulari*, 1535.

(3) Exstat quidem Erasmi de divi Pauli epistolis Petro Curtio responsio. (Vid. op., t. XII.)

sive quod, tot inimicitiis fessus, tædii vel fastidii causa, controversias istas tandem ex consilio negligeret; sive quod, in dies senior et magis æger, non eodem animi ardore, quo antea, hæc respiceret certamina. Ergo extrema Italici exercitus tela in se ingeri passus est, pacem agens, dum hostes, ut castris exiret, frustra provocabant. Nec magis illi curæ fuisse videtur hæc altera Scaligeri oratio iracundior, jamdudum parata, et, ut gladius, in vagina recondita, quam falso contendit Josephus Scaliger Erasmum exhorruisse, undique admonitis amicis ut eam vix in auras editam incendio abolerent (1).

Quo vero tempore hic libellus excusus fuerit, multum ambigitur. Alii enim vivente adhuc Erasmo eum editum putant, alii contra mortuo, quod Baylio magis placet. Quiquidem opinatur hoc opusculum a longo tempore Lutetiam missum, typographi incuria sub prælo diu remansisse; ita quidem ad Erasmum illius libelli famam, nec vero ullum exemplum, dimanasse; Scaligerum autem, qui vita defuncti Erasmi magno amore inflammatus est, suæ proterviæ puduisse; et ultro hanc orationem Lutetiæ, dum abesset, editam, adjuvantibus Desiderii amicis, flammis tradidisse, ita ut omnino perierit, et nonnullis post annis Josephus Scaliger eam apud *omnes pædantes* conquiri frustra curaverit (1). Levis quidem litteris et eloquentiæ jactura, cui minime ingemendum!

XXI. — Jam ferme decem annos Trojanum alterum illud bellum agebatur, ac tandem sensim decrescebant

(1) « Scaliger rursus evomuit nescio quid libelli in me quemadmodum et Petrus Curtius. Neutrum vidi. » (Erasm. Epist., 11 mart. 1536.)

odia quæ apud homines, ut amicitiæ, temporum intervallo plerumque solent obsolescere. Hinc enim Erasmus, quo magis ad senectam vergebat, in dies Ciceronis amantior, ut ipse epistola Tusculanis quæstionibus affixa (1) testatus erat, multis cum Romano oratore in gratiam redire videbatur. Inde vero Scaliger ipse, vel amicorum consiliis vel annorum quoque lapsu mitior factus, ab ineunda pace non omnino abhorrebat. Induciis igitur tempus opportunum habebatur : tum cœperunt esse pacis oratores, qui utrinque prioribus discordiis fomenta apponerent. Horum princeps fuit Jacobus Omphalius. Ad id autem assequendum, quidus verborum et argumentorum ambagibus, quot et quantis temperamentis et aucupiis, quasi de summis regni rebus ageretur, opus fuerit, vix credibile est. Namque, ne gratia inter Erasmum et Scaligerum male sarta diu consisteret, obstabant scilicet illius negligentia quædam et minima in Scaligerum animi proclivitas; hujus vero gloriæ perpetuæ et intempestive erumpentes. Quippe qui, dum amorem suum Erasmo condonabat, Omphalium simul admoneret se quidem non metus causa pacem adire, satis autem habere quod Erasmum admeliora, id erat ad sententiam suam, redegisset, et, parta sibi belli laurea, summam laudem et laborum mercedem adeptus esset (2). Nec multum aberat, dum sua tempora ipse

(1) « Mihi puero minus arridebat Cicero quam Seneca, jamque natus eram annos viginti priusquam ferrem diutinam ejus lectionem, cum cæteri pene omnes placerent. An ætatis progressu profecerim nescio : certe nunquam mihi magis placuit Cicero. Itaque non dubitem hortari juventutem ut in ejus libris volvendis atque etiam ediscendis bonas horas collocent, potius *quam in rixosis ac pugnacibus libellis* quibus nunc undique scatent omnia.»

(2) Scaligeri Epist. Omphalio. Quart. non. Mai 1536. Agenni.

lauro et hedera cingebat, quin, patriæ pater ultro factus, exclamaret ipse *Fortunatam se consule Romam.* — Præterea, discordiæ alia causa perpetuo instabat: nempe illud secundæ orationis fulmen nondum emissum, nec tamen exstinctum, ita ut iste altera manu pacem, altera vero bellum proferre videretur. Quamobrem amicitia vix intexta, paulo post, magna quidem Omphalii desperatione, Penelopeæ telæ instar, perpetuo rescindebatur.

Inter hæc autem ambigua induciarum spiramenta, subito morte correptus est Erasmus (1). In quem Scaliger, iisdem fere verborum tragœdiis, quibus olim odium, tunc serum amorem testatus, his versibus ingemuit:

> Tune etian moreris! Ah! quid me linquis, Erasme,
> Ante meus quam sit conciliatus amor?

in hoc tamen laudandus, quod mortui inimici umbræ et cineri pepercerit. Quiquidem sane suam orationem urendo melius quam scribendo meritus esse nobis videtur.

XXII.—Exstincto igitur illo tantæ litis auctore, bellum paulisper acquievit. Pacis autem accessit summus arbiter et moderator Muretus. Quiquidem in quinto decimo Variarum Lectionum libro, quasi partibus utrinque auditis et dijudicata causa, ita æquo sententiæ momento studia diversa composuit, ut simul et jus libertatis et Ciceronis æmulatio intra legitimos fines continerentur (2). Neque sane hæc tanta circa magni oratoris famam certamina sine fructu evanuerunt. Quippe interim, præter istos rixosos et pugnaces libellos, tumultuaria plerumque opuscula, nonnulla quoque placida, diligenter elaborata ac vere studio digna emersere volumina, quibus Ciceronis et latinitatis decus fortunaque tutius, quam lymphatis declamationibus, stabilirentur.

(1) 12 Jul. mens. 1536.

(2) Sermo habitus cum Dario Bernardo de stultitia quorumdam qui se Ciceronianos vocant:

« Fuit hæc de principio laboriosa quædam et exquisita diligentia, nunc in ignaviam vertit. Quid enim magis in promptu est quam, cum quid scribere ingressus sis, de singulis voculis Nizolium consulere?

« Quid tu igitur, inquies, ex omnibus antiquis scriptoribus, nullo discrimine, verba quibus utare depromes? Imo vero adhibebo judicium, habebo delectum, et cum ex iis potissimum qui antiquitatis quoque ipsi principes visi sunt, Cicerone, Cæsare, Terentio, aliis, quam plurima sumpsero; cum orationis meæ genus ad eorum exemplar, quam maxime potuero, conformaro, ex aliis quoque bellissimum quodque carpam; et quo quisque maxime excelluisse videbitur, id imitari atque exprimere conabor: neque in iis modo, quos paulo ante memoravi, sed in Tertulliano, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, et, quod magis mireris, Apuleio, Cassiodoro, Martiano etiam et Sidonio Apollinari, multa reperiam, quibus suo loco positis oratio uberior et ornatior fiat. » (Var. Lect., lib. xv, c. i.)

Ita Nizolius (1) *Ciceronianum apparatum et in Ciceronem observationes*; Robertus autem Stephanus *Latinitatis thesaurum* edebat (2). Sub iisdem temporibus Paulus Manutius ita locuplete commentariorum copia Ciceronem illustrabat, ut vulgo, teste Mureto, utrum Manutius de Tullio, an Tullius de Manutio melius meritus esset, ambigeretur. Hoc fuit primum illius Ciceroniani belli curriculnm, discordiis atrox, clamoribus dissonum, rebus ipsis inane sæpius aut risu dignum, nec tamen omnino ingratum et irritum, quoniam inde ingenua quoque studia exarsere.

(1) 1535.

(2) 1536.

XXIII. — Non diu vero ea pax mansit : bellum enim cœpit renovare alius quidam acerrimus controversiarum exagitator, Erasmi vere æmulus ac discipulus, majore forsitan ingenii audacia, pari libertatis amore, animo quidem non ita lepido et hilari, sed firmiore et constantiore, cujus vita, iisdem fere procellis ac simultatibus jactata, tristiore fato intercepta fuit. Petrus scilicet Ramus, idem ille qui primus, facta rebellione, antiquam Aristotelis dominationem labefactare ausus erat, Ciceronianæ superstitioni nondum exstinctæ statuit occurrere. Hoc autem discrimine, eamdem in eloquentia quam in philosophia libertatis causam agebat, cum utramque invidiosis angustiis eripere conaretur. Quippe apud illorum temporum eruditos hoc vulgo erat usitatum, ut in unius viri libris doctrinarum summam circumscriberent, hoc adhibito vocabulo : *Magister dixit*. Quemadmodum igitur alii Aristotelem unum philosophiæ caput et fontem esse, ita alii quoque in Cicerone uno omnia eloquentiæ præcepta et exempla, ne una quidem omissa vel mutata vocula, contineri arbitrabantur. Quod longe Ramo displicebat. Præterea, cum ille Tullianæ facundiæ, quam cæterum coluit et luculentis illustravit commentariis, anxios amatores et simios irrideret, non tantum Ciceronem ipsum quantum Aristotelem, hujus magistrum ac ducem, lacessebat. Unde hæc inferior de rhetorica arte controversia prioris et maximi illius Aristotelici belli appendix haberi possit.

XXIV. — *Brutinis quæstionibus* (1) certamem inivit Ramus. Quoquidem in opusculo non ipse suas partes agit, sed Bruti personam inducit, ut hunc velut redivivum iterum cum Cicerone committat de oratore disceptantem. In ipsa autem libri præfatione, qua mente scripserit paucis verbis monet : « In Oratore Ciceronis non solum de asiatica redundantia sed, (quoniam datur iis exercitationibus ea venia) de propriis rhetoricæ disciplinæ præceptis, deque totius tractationis ratione, constantia, veritate, quærentem Brutum feci, et quidem ita quærentem, ut proprias Ciceronis laudes et virtutes ornaret, vitia non solum a virtutibus separaret et distingueret, sed in authores (1) transferendo vel excusaret vel attenuaret. »

(1) Brutinæ quæstiones in oratorem Ciceronis. Ad Henricum Valesium, Franciæ regem, 1552.

Omnibus igitur ita descriptis ac temperatis, Bruti nomine fretus, primo in eloquentia ipsa definienda Ciceronem, quod ambitioso rhetorices circuitu cæteras omnes artes fuerit amplexus, redarguit. Cuique enim arti, ut suum finem, ita suam materiam propriam ac peculiarem esse; dialecticam vero a rhetorica eodem fere, quo geometria a musica distat, intervallo separari (2); neque tanta verborum ambitione opus esse memorat, ut ars, cæterum una et simplex, certis finibus describatur; quippe omnem oratoriæ artis virtutem in elocutione solum et actione versari; ex his igitur perfectum, quantum humanæ naturæ datur, fieri oratorem ; neque certe illam eximiam et absolutam oratoris imaginem, in Ciceronis libro splendide falsis coloribus fuca-

(1) Scilicet in Aristotelem.

(2) Hoc pariter in Aristotelem, qui dixerit : « Ἡ Ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ Διαλεκτικῇ. » (Rhet., lib. I, cap. I.)

tam, quæ nulla est, nec apud homines ulla esse potest, alicubi disquirendam. Tum autem præcipue fervet et exultat Rami censura, cum istam densam et horridam nominum ac præceptorum sylvam, has inextricabiles partitionum ambages et implexas voculas increpat, quarum angustiis elisam dolet artem oratoriam. Hac enim virtute præsertim eminuit Ramus, quod simplici, recto et sobrio præditus ingenio, omnes cujuscunque generis doctrinas, quo facilius in vulgus permearent, ad pauciora et breviora præcepta redigere studuerit : in hoc quidem recentiorum temporum vere interpres et nostri prænuntius Cartesii, qui, discussa tandem vetere *Entium* et *Idolorum* caligine, philosophiam aperto cœlo frui jussit. Quemadmodum igitur ab istis scholasticæ disciplinæ loculis et categoriis philosophiam ille vindicabat, ita ex his formularum et partitionum carceribus eloquentiæ vim jubebat liberius evolare.

In secunda vero hujus dialogi parte multa de elocutione, nonnulla etiam, quæ Ciceronis mores, ingenium et dictionem præcipue spectant, objicit. Sic ejus cursim ac breviter tum Asiaticam redundantiam, tum nimiam de se jactantiam, vetera quidem crimina, reprehendit, nulla tamen verbi aut animi invidia. Quippe ad extremum, hunc oratorum principem laudibus extollit, et ita ejus vitia vel errores excusat aut attenuat, ut quidquid imperfecti subobscurique et nimis impliciti in illo sit, aliis plerumque tribuatur. Fatetur enim Ciceronem ipsum Aristotelica tyrannide oppressum, illi nimis inserviisse ; Aristotelem vero unum peccavisse ; Aristoteli igitur bellum indicendum ; delendum tandem omnino Aristotelem.

XXV. — Hoc igitur altero bello provocato, iidem, qui Aristotelicæ, Ciceronianæ quoque dignitatis satellites obstitere. Inter quos, præter Gallandium et Carpentarium, assiduos Rami insectatores et ferocissimos Sorbonæ rectores ac tyrannos, in primo agmine eminuit Benedictinus quidam Cormeracensis, scholasticæ philosophiæ præco, latinitatis decus ac columen, Joachimus Perionius (1). Ille, Scaligeri æmulus, longiorem quamdam et indignabundam belligero scrinio eduxit orationem. Cujus in exordio docet quo ejusdem officii ac pietatis tenore Aristotelem simul Ciceronemque, ambo ista bonarum artium lumina, ambos, ut ita dicam, soles, quos sacrilega manu Ramus cœlo ac terris eripere tentaverit, tueri aggressus sit. « (2) Quod superioribus temporibus prædixi fore, ut Petrus Ramus, qui Aristotelis philosophiam non labefactare tantum, sed funditus evertere conaretur, non in hac arte una aculeos accusationis suæ consumeret, sed philosophorum patientia, quam tentaret, ad cæterarum quoque artium perniciem atque adeo interitum abuteretur, jam his temporibus, id est quadriennio post, experimur. Is enim eumdem se nunc in Ciceronis Oratore ad Brutum reprehendendo præstat. . . . .

Atrocitatem facti omnibus exponendam, et idem

---

(1) « Ce qui me fait davantage admirer cette abbaye de Cormery, l'une des plus recommandables qui soient en Tourraine, c'est qu'elle nous a nourri de notre temps ce rare, et qui à grand'peine pourra trouver son second, religieux Joachim Périon, homme qui, de notre siècle, *a le plus purement parlé latin, et latinement traduit plusieurs auteurs grecs.*» (Thevet, Vies et portraits des hommes illustres, p. 135.)

(2) Pro Ciceronis oratore contra Petrum Ramum oratio.

officium Ciceroni, quod quadriennio proximo Aristoteli præstitissem, præstandum intelligebam. »

Quibus autem demonstret argumentis comprimendam hanc audaciam, et exterminandas istas opiniones novas in vetere doctrinarum ludo lascivientes, memoratu dignum est. Cavendum scilicet ne, proculcata omni magistrorum auctoritate, Hippocratem Galenumque, Euclidem Archimedemque, et cæterarum artium principes rejiciat, et jam, ut philosophiæ et eloquentiæ, ita medicinæ, geometriæ et astrologiæ, mutato statu, amplissimos illos eruditorum cœtus, illas veteres et illustres academias, omnium disciplinarum arces, in nullo loco habendas et ipse prædicare et cæteros docere non dubitet. Quæquidem ut avertat pericula, fortiter it obviam Perionius, et, signo sublato, pro Ciceronis fama, moribusque et eloquentia dimicat. Cæterum eadem fere singula, quæ Scaliger, retractat argumenta, eadem vibrat fulmina eodem animi studio ac pietate, nec non latinitate, in jaculandis tamen conviciis et projiciendis ampullis forsitan impar, etsi aliquando vocem et iras inflare videatur, vel cum *facti atrocitatem* denuntiat, vel cum Ramum his verbis ipsum compellat : *Nonne te tui pudet? non mendacii? non vanitatis?* » vel cum regem Henricum Valesium, cui dedicatæ fuerant Brutinæ quæstiones, obtestatur ut, repudiato illo nefarii libelli patrocinio, in auctorem sæviat et labefactatæ succurrat eloquentiæ. Præterea multæ simul de oratoria arte, de verborum figuris, de partitionibus, de sententiis, de modis et numeris aguntur controversiæ. Quibus palam indicat Perionius Ramum et ignorantia et invidia peccavisse, et nunc etiam prava laborare ambitione, cum, de-

jecto Cicerone, eloquentiæ regimen ac principatum sibi vindicet, « *et novam cogitet aut scribat rhetoricam.* »

XXVI. — Neque male auguratus erat Perionius. Etenim apud Regium Collegium factus eloquentiæ professor Ramus, quo melius discipulos doceret, non jam censura tantum, sed exemplo uti statuit, et in breviario quodam summis rhetoricæ artis legibus collectis, veram oratoris imaginem proferre : cuiquidem libello, Erasmiani sane dialogi memoria, Ciceronianum nomen apposuit (1). Hoc autem opusculum non, ut Erasmi, mordacibus jocis et lepidis salibus diffluebat, sed magis grave ac severum erat, dictione placidum et modestum, nec non facundum et elegans, rebus autem ipsis et sententiis plerumque audax et novum, in quo firmioris judicii libertas et constantia simul eniterent. Ibi vero Ciceronis vita, mores, eloquentia, scripta et præcepta, auctori materiæ erant ut, arrepta occasione, litem insereret, et quæ sentiret ipse de rhetorica arte, de oratore educando, præciperet. Quæ libri pars cum Oratoria Quintiliani institutione potest aliquando comparari.

Quis igitur et quomodo vere Ciceronianus dici mereatur, primo disserit Ramus. Jam inde ab initio plerisque Erasmi opinionibus renovatis : scilicet non hunc esse Ciceronianum, qui Tullianæ facundiæ tantum lineamenta et habitum, latinitatem denique solam (*quæ grammaticorum, non rhetorum, sit propria*) referat, sed qui Tullii prudentiam simul et sensum, et doctrinarum ubertatem, et componendi rationem, et morum virtutem, et vitæ

---

(1) Ciceronianus. Ad Carolum Lotharingem cardinalem. Décemb. 1556.

disciplinam, et animum denique totum exprimat (1); quibus autem studiis Romanorum ille oratorum princeps juventutem suam exercuerit, quo progressu, in scholis philosophos et rhetoras, in foro maximos oratores secutus, ad summam eloquentiæ laudem et ad illa pulcherrima opera venerit, honestissima adolescentibus hortamenta, Ramus facunde et splendide commemorat. In hac tamen recensione, non sine quadam judicii libertate, quæ sint in hujus vita et scriptis imitanda, quæ contra fugienda, notare non dubitat. Nempe oratori vitandam illam aliquando molliorem verborum redundantiam, et hanc nimiam de se, cui Cicero sæpius indulserit, jactantiam; neque intra Tullianæ latinitatis fines superstitiose consistendum, cum multa sint in Cæsare, in Sallustio, in Tito Livio ac cæteris, vere Ciceroniana; neque ab ipso novandæ linguæ, ex Horatii præcepto, abstinendum; usurpanda vero veteribus inaudita aliquando verba et nomina, quibus novæ res et usus melius exprimantur, non temere tamen, nec sine judicio aut utilitate: neque Latinæ tantum, sed Græcæ etiam, Ciceronis exemplo, et Hebraicæ, et, quod magis notandum, patriæ et vernaculæ, prout cuique fuerit, Francicæ, Germanicæ aut Anglicæ, *linguæ pariter studendum.* « *Quare ut Græcæ et Latinæ, sic Francicæ, id est patriæ et vernaculæ linguæ, ludus aperiendus est et magister audiendus.* »

Audax sane consilium, et quod jamdudum acceptas in scholis opiniones perverteret! Etenim has novas et in-

---

(1) Dixerat Erasmus in dialogo Ciceroniano : « *Totum Ciceronem exprimamus.* »

quilinas linguas civitate donari, et in eloquentiæ consortium vocari, eruditorum plerisque mirum ac nefarium videbatur. Ramus autem nec clamoribus, nec falsa verecundia permotus, dejecto isto scholasticæ superbiæ vallo, et quasi patefactis ostiis, recentiorum temporum eloquentiæ novum ludum et apertum campum, qua proflueret, reserabat : antiquorum quidem æmulus, non vero simius aut assecla!

Mox etiam quæ de instituendo oratore maxime probarint Cicero, Quintilianus et Erasmus ipse, in controversiam agit. Ex his autem quidquid libet vel recipit, vel amputat et recidit, sine mala tamen ambitione, nec otiosa pugnacitate disserendo. Sic in transferendis ex altera in alteram linguam sententiis, quod opus Tullio vacuum et inane visum est, multum fructus et momenti ponit; in legendis autem poetis, quos præsertim adolescentibus præcipit Quintilianus, molliorum ingeniorum studia male collocari Ramus existimat, et, ad stilum inchoandum et informandum, oratorum epistolas faciliores primum, magisque familiares, anteponit : in imitanda demum Ciceronis eloquentia, quæ Erasmo maxime sponte sua profluens ideoque minime imitatione videtur consequenda, longe aliter sentit : quippe eam multa arte et industria paratam, et eo magis imitabilem; Ciceronem enim, invita et repugnante natura, cum illi actio, maxima pars eloquentiæ, defuerit, studio tamen ac labore cæteros omnes in curia et foro superavisse. Neque illa sane propter invidiam dicta videri possunt in Ciceronem, quem laudibus cæterum extollat, cujus opera tot et tantis ditaverit commentariis, quo tandem duce adolescentes prima eloquentiæ rudimenta doceri

jubeat, hac posita perorando adhortatione : « Qui revera ac veritate Ciceronianus esse, non specie tantum ac nomine, haberi cupiet, optabit ille quidem Ciceronis et naturam et doctrinam, vel utramque paulo etiam meliorem, sed maxime omnium (quod per se ipse præstare potest) industriam illam universæ vitæ sociam et comitem perpetuam adhibebit. »

Illa Rami oratoria institutio, frustra reclamantibus Carpentario, Perionio et cæteris scholasticis, ita brevi per totam Europam percrebuit, ut intra paucos annos non solum Lutetiæ, sed Friburgi et Basileæ, multa exemplaria edita sint. In Germania præsertim invaluit, ubi tres simul rhetoricæ magistri, Aristoteles scilicet, Cicero et Ramus, velut ex æquo habebantur. In hoc autem clamoso et sæpius inani Ciceronianorum bello, eximium tandem opus libet invenire, et hunc excellentem virum intueri, qui, recentiorum temporum et necessitatum providus, vernaculæ philosophiæ simul et eloquentiæ fontes primum ausus est reserare, libertatis præco, feliciter audax, et vere dignus quem, nisi imitatione (res enim ardua et periculosa), gratia saltem ac memoria prosequamur.

XXVII. — Circa eadem tempora, multa alia de rhetorica arte et Ciceronis imitatione in Germania simul atque in Italia edebantur : in Italia Riccius, in Germania Camerarius, Tullianam causam agebant. Quippe bellum undique, quasi renovata peste, cœperat iterum crudescere ; neque, inter ipsos civiles religionum tumultus, defuit illa altera divortii materia. Hoc etiam ipso anno quo cædes abominanda (1) Lutetiam et Galliam omnem cruenta-

(1) 1572.

bat, Justus Lipsius quinque et viginti annos natus Ienæ publicam orationem, vel potius declamationem, juvenili studio habuit. Quæquidem cæterum videtur maxime fuisse scholastica exercitatio, qua nobilis adolescens erga Romanæ eloquentiæ patrem suorumque studiorum ducem ac magistrum pietatem profiteretur. Ibi enim non tam controversia quam præconium agitur : de Ciceronis vita et moribus disserit Lipsius, ut objecta levitatis et inconstantiæ crimina diluat. Scilicet illum ostendit Pompeii una Cæsarisque sine levitate amicum fuisse; eumdem vero Cæsari nunc convicia, nunc laudes, sine inconstantia tribuisse : namque vel optimis et firmissimis civibus inter publicas turbas sæpius mutandam sententiam, neque contra omnes enitendum, sed aliquando inserviendum temporibus. Denique contendit omnia Ciceroni bene acta, ne omissa quidem morte, opportune cecidisse. In hoc primo vitæ et eloquentiæ suæ cursu (1), Lipsius maxime Tullianam dictionem æmulatus erat ; postea vero, cum annorum usu jam maturius et robustius factum esset ingenium, Bruti et Messalæ partes secutus, decretoriam quamdam brevitatem magis visus est affectare. Quod ipse his verbis in secundo Centuriarum libro testatus est : « Ciceronem (2) amo. Olim etiam imitatus sum : alius mihi sensus nunc viro. Asianæ dapes non ad meum gustum, Atticæ magis. » Eadem animi et linguæ libertate paulo post (3) Ciceronianos et præsertim eorum ducem Bembum irridebat, cujus stilus *supinus*,

(1) Jam antea, vix novem et decem annos natus, *Variarum lectionum* librum Ciceroniane scripserat.
(2) Epist. x.
(3) Epist. LVII. (*Ibid.*)

languidus, et affectata imitatiuncula fractus, ipsi videretur. « Ut pueri pedes per delicias male ponunt et imitari vatias discunt, sic iste, cum recte scribere posset, maluit pravo elegantiæ studio flectere orationem et enervare. » Reprehensa autem illa nimia præposteræ latinitatis religione, non ideo Ciceronem negligit aut posthabet, quem contra sæpius ac fusius laudet, cujus etiam sales defendat a Tacito in dialogo de Oratoribus *jejune reprehensos*. Illum enim summum eloquentiæ patrem discipulis a pueritia et, ut ita dicam, a cunabulis admovendum; ejusque felicissimæ et uberioris facundiæ lacte teneros juvenum animos alendos esse prædicat. Dum autem illa hortabatur, Taciti æmulus ipse et Tullianæ desertor latinitatis, plurimos juvenes, ut plerumque accidit, imperitos exemplo suo in adversas partes trahebat. Unde in illius sæculi fine exorta est altera factio longe diversa ab illa quæ initio floruerat. Cuiquidem non jam curæ et cordi fuere solerter ac studiose composita verborum concordia, et liquidus orationis candor, et numerosi sententiarum circuitus, et elegantiarum lepores, et clausulæ legitime sonantes; sed multo potius (1) ex consilio hiulcæ et salebrosæ vocum juncturæ, et amputata sententiarum membra, et transversæ aut ambiguæ verborum significationes, et obsoletæ ac prope rancidæ dicendi formæ, et operosa denique brevitas aut asperitas exquisita. Sic intra paucos annos in litterarum republica

(1) « Antiquatum penitus atque obsoletum dicendi genus affectant... Rancida ad hæc verba puerili quodam judicio miscendo κακοζηλίᾳ vitiosi contaminant... Quo fit ut obscura et tenebrosa, quæque Delio notatore egeat, existat oratio. » (Cic. a calumn. vind. Andr. Schott. præfat.)]

ex prava æmulatione conflata est gens Lipsiana, invito ipso Lipsio, qui illius reconditæ et imperatoriæ latinitatis usuram, quasi sibi propriam, nec aliis tentandam, vindicaret. Hujus autem alterius factionis mox ita crevit superbia, ut summum eloquentiæ regnum usurparet, nec jam solum Bataviam et Germaniam, sed Galliam et Italiam ipsam, antiquissimam elegantiarum sedem ac magistram, inficeret contagio.

XXVIII. — Cujus pestis refellendæ provinciam (1) suscepit inter primos Henricus Stephanus. Idem igitur ille, qui jam antea contra Hispanicæ et Italicæ linguæ dominationem Gallici sermonis dignitatem tuitus fuerat (2), qui in *Pseudo Cicerone dialogo* (3) et in libro de *Latinitate falso suspecta* (4), verum eloquentiæ Romanæ jus ac fines descripserat, utriusque linguæ patronus ac moderator, istos antiquarii sermonis amantissimos, et mundæ ac candidæ latinitatis contemptores, amplissimo quodam volumine confutare aggressus est. Verum, ut omne invidiæ crimen longe a se amoveret, qua mente scripsisset admonuit, hoc posito in prima libri fronte titulo : « *De Lipsii latinitate (ut ipsimet anti-*

(1) « O Stephane, Stephane, provinciam cepisti duram ! » (De Lips. Lat.).

(2) In libro De la Précellence du langage françois. V. edit. Feugère.

(3) 1575. « In hoc non solum de multis ad Ciceronis sermonem pertinentibus, sed etiam quem delectum editionum ejus habere, et quam cautionem in eo legendo debeat adhibere, lector monebitur. »

(4) 1577.

Tune pudore taces, quia barbarus esse vereris?
Eia, metum et linguam solve, Latinus eris.

quarii antiquarium Lipsii stilum indagitant) Palæstra prima Henrici Stephani Parisiensis, nec Lipsiomimi, nec Lipsionomi, nec Lipsiocolacis, multoque minus Lipsiomastigis; additoque præterea hoc temperamento : « *Libertas volo sit latinitati, sed licentia nolo detur illi.* » Ea igitur judicii et verbi modestia, quæ magnorum ingeniorum est propria, Stephanus se quidem non Lipsio, sed Lipsiomimis, clarissimi viri simiis, bellum indicere profitebatur, in hoc vere Erasmi, Mureti et Rami discipulus, cum omnia fugeret extrema, libertatisque simul et sanæ mentis causam ageret.

Illud autem opus Mauritio Hessiæ Landgravio dedicatum erat. Quaquidem in dedicatione omnem sui libri rationem exponit, monetque se cum bonas litteras, tum bonos mores tueri; prætereaque memorat olim apud Romanos sub Divo Augusto antiquarii sermonis aucupes jam exstitisse, eosque minime Cæsari placuisse, unde eosdem Mauritio, hujus tanti principis æmulo, minime jucundos fore auguratur. Paulo post etiam in præfatione, qua lectorem alloquitur, recentium sane politicarum rerum memoria, Lipsianam factionem cum *Sancta Liga* comparat (1). « Quod enim, inquit, Gallica Liga adversus hunc quoque verum et legitimum Galliæ regem molita est, Hispanico auxilio freta, idem secta antiquaria, quæ tandem (proh dolor!) evasit in gentem magnam, ac quæ quotidie magis magisque fit populosa, adversus florentis Romæ latinitatem, veram et legitimam Latini eloquii reginam, molitur. » Ipse autem legitimi regni fautor ad legitimæ latinitatis jus

(1) De Lips. Lat. Præfat.

pariter tuendum accingitur. Neque enim obliviscendum est hunc de Lipsii latinitate librum anno, postquam Henricus Quartus Lutetiam introgressus esset, excusum fuisse (1); Henricum autem Stephanum cum Passeratio cæterisque Menippeæ satiræ auctoribus fuisse conjunctissimum; unde minime mirandum, si, in hac ipsa litterarum lite, contra Hispanos et Ligarios cum Lipsianis mixtos declarandi odii occasionem arripiat. His igitur propositis, controversiam tandem, aut magis, ut ait ipse, palæstram aperit, in qua tres adsunt Palæstritæ : *Kænophilus* scilicet princeps, id est obsoletæ et rancidæ latinitatis, quæ tum nova erat, amator : hunc autem inducit Stephanus *e suo antiquarii sermonis penitissimo penu kænologemata* depromentem, ut risum moveat, et eodem, modo quo juventus olim ab ebrietate deterrebatur, proposito hujus amentiæ exemplo, lectores a prava imitatione avertat. Quem juxta sequitur Misokænus, vir contra omni novitati infensus, mundæ castæque tenax latinitatis, semperque nimia religione diffidens orationi. Eorum autem in medio stat Coronellus, faciliori quidem ingenio, nec amore nec odio accensus, nec novi sermonis curiosus aut fastidiosus, nec veniæ sibi cæterisque parcus, quem non piget *Ligæ* et *Ligarii* (2) nomen, licet Misokæno suspectum, usurpare. His tribus personis fabula agitur, non simplex quidem, sed ambagibus sexcentis implicita, multisque de Homero, Plauto, Virgilio et Ovidio, Cicerone et Sallustio judiciis, et ad grammaticam pertinentibus controversiis

(1) 1595.
(2) De hoc verbo in novissima dialogi parte agitur controversia.

fœta, interdum tamen salibus ac jocis, qui plerumque argumentorum aut doctrinarum pondere oppressi frigent, temperata. In hoc autem opere, præter multa alia, bellum contra Turcas provocatur. Unde Josephus Scaliger, cæterum Stephano malevolus, hanc multigenam controversiarum sartaginem, *de Latinitate Lipsiana adversus Turcam* appellandam, invidiose dictitabat. Denique per densam et horridam argumentorum sylvam ad hanc libri conclusionem pervenitur : « *Antiquarius sermo, quem tenere non debet locum, teneat (id est legitimæ latinitatis sedem occupet) nolo; quem tenere debet, teneat volo.* » Quod cæterum ipse jam antea fuerat testatus, cum, in brevissimo quodam *de Plauti Latinitate* libello, istos delicatiores increparet, qui propter antiqui sermonis consuetudinem, cui non essent assueti, a Plauti lectione abhorrerent, perinde ac si omnia illic quodam vetustatis obducta situ forent, et loquentem Evandri matrem essent audituri (1).

Sic Henricus Stephanus, ex Horatiano præcepto, virtutem in medio ponere videbatur, remotis pariter fastidio et superstitione. Illa autem prudens et modesta egregii viri sententia ad cohibendam istam Lipsianæ latinitatis improbam æmulationem minime profuit. Quamquidem, multis quoque post annis, Balzacius his verbis irridebat : « Histriones scenicos dixisses, aut ad instar Telephi Euripidæi non mendicos modo, sed et claudos, qui chorago intus rem gerente, spectatores cum tibicine oblectarent (2). » Cujus etiam insaniæ memoria Josephi

(1) De Plauti Latinitate oratio.
(2) Viri magni judicium de Imitatione Lipsianæ latinitatis. (Balz. Oper. Christ. Socrat. Append.)

Scaligeri in novissimo die moribundi curam et bilem commovebat. Dum autem is fiebat in litterarum Rempublicam Lipsianorum impetus, quid de Ciceroniana ipsa factione ageretur paulisper repetendum.

XXIX. — In hac scilicet rerum et studiorum conversione, interdum erumpebat admonitio et querela, qua novissimus aliquis Tullianæ elegantiæ propugnator suam ætatem leporum incuriosam et præteritæ felicitatis immemorem increparet : vana plerumque appellatio, et pia manu effusum

Telum imbelle sine ictu !

Quos inter extremos Ciceronianæ legionis sodales memoriæ inseratur, præsertim ob virtutem et pertinaciam, Andreas Schottus, è societate Jesu, vir quidem doctissimus, humanitate et modestia apud eruditos rariore insignis (1), qui cum Justo Lipsio, Scaligero, Casaubone, Vossio multisque aliis amplissimum litterarum habuit commercium, opimisque commentariis Ciceronem illustravit; cæterum latinitatis studio et amore magis quam orationis elegantia aut vehementia egregius, minime orator, nec tam re et stilo quam nomine et pietate vere Ciceronianus. Quiquidem, jam ineunte septimo decimo sæculo (2),

(1) Quem eximiis ornat laudibus Baillet : « C'était l'homme du plus grand commerce de son siècle pour les belles-lettres, et tous les savants avaient rapport à lui de tous les côtés de l'Europe, et le considéraient comme leur centre. Aussi avait-il toutes les qualités nécessaires pour répondre avantageusement à leur attente et à leurs besoins, beaucoup d'érudition, d'honnêteté, de candeur, de sincérité, de générosité, de piété solide, et une passion tout extraordinaire pour obliger tout le monde, de quelque pays et de quelque religion que l'on fût. » (Jugements des savants, t. II.)
(2) Cicero a calumniis vindicatus, 1610.

fere a centum annis habitam controversiam ex integro retractare decrevit. Ergo primum memoratis breviter omnibus, quæ antea in hac lite vel dicta vel acta sint, ipse causam agit gravi et prolixo sermone, et opima quidem argumentorum, quæ e Ciceronis vita aut scriptis detraxit, farragine. Hujus enim in oratione, velut in sicca et jejuna judiciorum tabella, singula quæque Ciceroni objecta crimina per capita ex ordine digeruntur; cuique vero crimini eadem capitum serie respondet defensio.

Nempe disputatur :

1° An gloriæ nimis cupidus fuerit Cicero?

2° Avarusne et ambitiosus?

3° An in eo σολοικόφανες appareat?

4° An poeta fuerit minime malus?

5° Superior an inferior Demosthene?

et de multis aliis. Quibus positis, demonstratur, ut æquum est, omni diluto crimine, Ciceronem neque avaritiæ aut ambitioni indulsisse; neque in solœcismi suspicionem jure incidisse; neque Demostheni imparem, sed magis præstantem fuisse; præterea eumdem optimum inter optimos poetas adscribendum. Quippe hunc versum, tot controversiis jactatum et aliquando irrisum de *fortunata Roma*, non modo legitimum, sed pulcherrimum, maximeque numerosum et eruditis auribus jucundum esse contendit, probata illa figura, quæ apud Græcos παρήχημα, apud Latinos autem *resultatio* vocatur. Quamquidem maximo in honore fuisse multa testantur Tibulli, Horatii, Virgilii et Ausonii exempla, quibus minime parcit Andreæ Schotti prolixa pietas et opima memoria. Postquam autem pro Ciceronis vita, moribus, eloquentia et dignitate, fortiter oravit, hujus etiam uxorem filiamque et filium, apud multos male audientes, ille Tullianæ gentis causidicus tueri aggreditur. Quorum igitur ita virtutes laudat, ita vitia extenuat aut excusat, ut Ciceronis felicitati nihil vel in conjuge vel in liberis defuisse videatur. Ab omni crimine tandem purgata domo, hanc alteram quoque adoptivam et postumam Tullii progeniem, quæ nuper cœperat repullulare, Ciceronianorum scilicet gentem, eodem officio ac pietate prosequitur. Namque Petrum Bembum, Sadoletum, Longolium, Manutium, multosque alios memorat, quorum opera diutius apud posteros, quam Erasmi sales ac lepores, in gratia mansura, falsus quidem vates, auguratur. Quemadmodum autem in Cicerone omnia perfecta et absoluta esse prædicavit, ita Ciceronianos in omni re et doctrina, sive in scribenda historia, sive in theologia, medicinaque et geometria, excellere demonstrat.

Cæterum in hac longa et jejune difluenti oratione, placido quodam imbellique sermone plerumque utitur, nec dicendi illecebris, nec vehementia aut fulgore verborum, Scaligeri instar, animi sollicitat affectus, oculosve studet perstringere. Quantumvis enim sit eruditus, tarde tamen movetur, minime irascitur, raroque incalescit. Vix etiam interdum se oratoris partes agere meminit, et, magis elata voce, rara quidem et innoxia eloquentiæ fulmina, non sua, sed e Ciceronis officina detracta, tentat intorquere, quale hoc : « *quousque tandem patientia nostra abutentur? Quousque illorum nos furor eludet?* » et alia ejusdem novitatis et audaciæ.

Cuiquidem orationi in appendicis modum adjungitur sicca quædam et arida de corruptæ eloquentiæ causis

controversia. Quarum nonnullas certe memorari dignum est; alias, quæ cum illius, tum nostræ sunt ætatis; alias, quæ illorum temporum magis videntur propriæ :

1° Pravam scilicet puerorum in litteris institutionem;

2° Ineptorum lectionem librorum;

3° Lucri cupiditatem immaturam;

4° Elegantis contemptus dictionis;

5° Nulla aut perexigua disertis hominibus, qualia medicis ac jurisconsultis solent, præmia proposita;

6° Vernaculæ nimium linguæ in Gallis, Italis atque Hispanis, studium, olim a Ramo celebratum.

Felix quidem crimen hoc novissimum, quod mox erant purgaturi Cartesius et Pascalius! Optimus autem ille Andreas, latinitatis patronus, hujusque scholasticæ et umbratilis eloquentiæ fautor doctorque, recentiores linguas jam foro et publica frui gratia, non sine quodam animi angore et futuri metu, ægre ferebat. Quippe qui, ut plerumque solent viri priorum temporum amantiores, quibus omnis rerum mutatio pro ruina vel in pejus conversione habetur, occiduæ quidem ætatis, nec alterius vero magni exorientis sæculi crepuscula, intueri sibi videretur.

XXX. — Inter hæc placida et irrita decrescentis in dies factionis desideria, paulatim languebant animi, silebantque discordiæ,

> Cum tuba terribilem sonitum dedit ære canoro.

Namque bellator acerrimus, famosusque libellorum auctor, assiduus criminum artifex, et pervicax omnium vivorum mortuorumque insectator, *Canis ille Grammaticus*, cujus tota vita fuit rixa et pugilatus, Gasparus

tandem Scioppius, cum sit nomine appellandus, in novissima Ciceronianorum agmina, jam fracta et armis desueta, rabido dente irruerat. Quem ad id bellum renovandum impulerat, præter insitum cujuslibet magnæ famæ odium et discordiarum amorem, suscepta cum Scaligerana gente inimicitia (1). Cum enim Josephus Scaliger, velut hæreditatis jure, Ciceronianæ laudis patrocinium sibi vindicaret, satis erat Scioppio cur Ciceronem maledictis et conviciis laceraret. Furentem igitur lymphatumque libellum quemdam Mediolani edidit, cujus unum exemplum in Galliam allatum Balzacius se vidisse tradit (2). Quippe improbus ille syllabarum auceps, qui apud probatissimos veterum ac recentiorum temporum auctores solœcismos et barbarismos acute nare subodoratus erat, ne Tullianæ quidem latinitati parcere voluit. Iisdem fere criminum et conviciorum tragœdiis (3), quibus olim Julius Cæsar Scaliger Erasmum insectatus erat, Latinorum oratorum principem, barbarismi reum, lacessivit. Josephus autem Scaliger suam Tullianamque domum, quasi cognatione junctam utramque, communi pietate eademque injuriarum et maledictorum copia tuitus est, nec proprio tamen nomine famoso isti Scioppio respondere dignatus.

---

(1) Inexpiabile bellum et inimicitias ασπόνδοις νόμοις tecum gerendas suscepimus. » (Scaliger Hypobolimæus, p. 300.)

Vide etiam singularem de Nardo et Epithymo controversiam : « Medicorum et pharmacopeorum honos e Scaligeri calumniis vindicatus. »

(2) Balzac, Lettre à Chapelain, XII :

« Au premier jour, je m'attends que le même Scioppius fera un autre livre, par lequel il entreprendra de prouver que Caton était un méchant homme et Jules César un mauvais soldat.»

(3) V. Baillet, Jugements des savants.

Hoc autem falso sigillo : J. R. (Jani scilicet Rutgersii), librum edidit ita pugnacem et superbum, ut ex ungue leo nosceretur. Neque etiam defuere Heinsius, Baudius, Casaubo, et multi præterea alii, qui tum versibus, tum prosa oratione, Scaligeri simul et Ciceronis famam contra istius maledicentissimi viri dentem et venenum defenderent. Ea vero, licet atrocissima, magis privata fuit quam publica controversia. Non jam enim aderat illa supercilio elata et alacris Ciceronianorum legio, quæ, cum moveret bella, omnium oculos in se converteret. Necdum tamen omnis perierat. Sed, quasi deserta publica controversiarum area, subductisque signis, in scholarum umbra et secreto latebat. Unde interdum exibat, veluti præteritæ ætatis monumentum, vetus et obsoleta aliqua Ciceroniani imago, qualem in priore illo Colleteto (1), poeta apud Richelium gratioso, et in ipso Balzacio, renovatis Erasmi salibus ac facetiis, extra modum fucatam et depravatam invenire est. Illa vero, memoriæ magis et joci causa, jam umbræ et fabulæ loco traducebatur. In hoc enim splendente novarum litterarum ortu mox fuerat offuscatus gentis illius honor, quæ modo superbe et aperte dominatum affectabat. Cuiquidem jam tunc peracta erant sua fata; superstabat tantum nomen : vixerant Ciceroniani !

(1) Oratio apud Gallicam Academiam habita, de Veterum Imitatione et Eloquentia, 1536 :

« C'était un plaisir de voir ces visages pâles et mélancoliques se priver de tous les plaisirs de la vie, fuir la compagnie des vivants, comme s'ils eussent été morts, s'ensevelir dans leur étude comme dans un cercueil, et s'abstenir de la lecture de toutes sortes de livres, hormis de Cicéron, avec autant de soin que Pythagore s'abstenait de l'usage des viandes..... Et quand leurs longues veilles les avaient atténués de maladies, ils mouraient contents, puisqu'ils augmentaient le nombre des martyrs de Cicéron. »

III

QUEM EXITUM BELLUM HABUERIT.

XXXI. — Nunc resedit omnis istius belli vis ac tumultus ; silentio et oblivione latent Ciceroniani et Ciceronianorum opera. Alia enim studia, aliæ æmulationes, alia certamina in his terris nostros animos invasere. Nos etiam fere fugit, qua pertinacia animi vel otii luxuria per centum annos, inter tot civiles turbas, hanc litem producere homines sustinuerint. Cuique vero ætati sua est libido, suumque delirium : felix quidem, cum sine cruore et proscriptionibus, innoxio tantum et supervacaneo voluminum pondere exsolvitur ! Sic multa, quæ apud nos viguere, apud posteros pro nihilo erunt, iisdem judiciorum vicibus ac conversione ; multa quoque nostræ ætatis naufraga volumina in æternum somnum excipient musæorum hospitia. Ne igitur, male pii nostrique immemores, istud clamosum et sæpius inane Ciceronianorum bellum nimio risu fastidioque negligamus. Quippe quod non frustra eloquentiæ et litteris absumptum omnino sine fructu evanuerit. Ex hoc enim dissono

tumultu et ventosa procella nonnulla quoque bona, nec parvi facienda quidem, derivata sunt. Quæ in extremo hujus commentarioli fine fortasse non indignum sit recenseri.

Primo scilicet illa verborum et modorum, juncturarum clausularumque, commatum et membrorum e Cicerone decerptorum volumina, quæ leviter aliquando Erasmus irridebat, loco et exemplo fuere, ut inde prima purgandæ et stabiliendæ latinitatis compendia et legiferi codices existerent. Præter enim illa Nizolii, Manutii, Stephanorum, Mureti, Lambini, Turnebi, Victorii, cæterorumque, de quibus pauca diximus, operosa commentaria, multa quoque alia in proximo sæculo exorta sunt. Inter quæ novissima satis sit numerari tum *Joannis Vorstii* de *Latinitate merito aut falso suspecta*, tum *Christophori Cellarii* de *Latinitate mediæ et infimæ ætatis*, tum *Vossii de sermonis Vitiis* libros (1). Quibus operibus descriptæ sunt Latini sermonis singulæ quæque vices et ætates; ejusque sæpius laxi, et improba mixtura usque ad barbariem evagantis, flumen intra certos fines redactum fuit. Ille autem sermo, jam tum publica, ut ita dicam, vita defunctus, foro quidem expellitur; neque jam communis fit juris et mancipii; eruditorum vero proprius, quasi circum edito vallo, intra scholarum parietes moratur, neque recentiorum auctorum audacia, neque vulgi ignorantia adulteratus; etsi autem ab illo

(1) « Nam tantummodo luculentum barbarorum (verborum) specimen dedimus, ut juventus, hisce animadversis, redderetur cautior, omniaque appenderet ad stateram sermonis Romani, nec aliquid usurparet, nisi cujus idoneum ex veteribus sciret auctorem. » (De Vit. serm., lib. II, c. I.)

tempore dicatur intermortuus, vivit tamen doctorum memoria et studio, vivit pulcherrimum præteritæ monumentum ætatis, et futuræ documentum. Etenim, dum angustioribus terminis circumscriptus præsentium temporum necessitatibus impar ille arguitur, vernaculæ linguæ nova patet fortuna, quam Henricus Stephanus ab ipso prioris sæculi fine, in eximio libro, fuerat auspicatus. Hic igitur novus sermo prioris illius recedentis vices excipit, vestigiis insistit, et, occupata sensim eloquentiæ provincia, palam dominatur. Ita, hac ipsa verborum religione, qua laborabant Ciceroniani, pluribus exterminatis vocibus, quarum usus indigebat, recentiorum linguarum festinata est accessio.

Præterea isti tenaces et obstinati exquisitæ latinitatis artifices leporum et elegantiæ cultum, nimis apud Mediæ Ætatis viros neglectum, restituere et novis litteris addidere. Illa enim deliciarum curiositate, docuere quomodo vernacula lingua, adhuc rudis et hispida, fieret in dies politior. Quippe isti, qua sæpius diffluebant Mediæ Ætatis libri, jejunæ et effreni luxuriæ jam tunc anteponuntur liquidus sermonis candor et dicendi subtilitas. Omnium autem succurrit memoriæ (1) Virgilium et Horatium exiguo quidem carminum volumine, non rudi et indigesta operum mole, per ora hominum ad posteros pervenisse : unde magis in dies sobria fit et candida oratio. Ita illi Ciceroniani, sæpius vana locuti, etsi in alieno campo, non infecunda tamen nostræ linguæ semina insevere, unde florerent illæ, quæ Gallicarum litterarum quasi propriæ

(1) V. Balzacii ad Capelanum epistolam : « *qu'il n'est pas possible d'écrire beaucoup et de bien écrire.* »

futuræ essent virtutes, elegantia, majestas et verecundia. Id saltem eorum laudi condonetur : illo beneficio de posteris optime eos meritos esse fateamur.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, ipsis idib. mart. ann. MDCCCLV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :
Pro Academiæ parisiensis Rectore,
A. DANTON.

ERRATA.

P. 8, l. 7, *pro* cæpit, *lege* cœpit.
P. 12, l. 5, *pro* ῥωμαΐστι, *lege* ῥωμαϊστί.
P. 13, l. 28, *pro* ponficem, *lege* pontificem.
P. 14, l. 13, *pro* scholiis, *lege* scholis.
P. 15, l. 13, *pro* Capotilinam, *lege* Capitolinam.
P. 35, l. 9, *pro* ,'stei, *lege* , et si.
Ibid., *pro* nonulla, *lege* nonnulla.
P. 36, l. 12, *pro* oriendus, *lege* oriundus.
P. 39, l. 20, *pro* succurrerint, *lege* succurrerent.
P. 47, l. 22, *pro* admeliora, *lege* ad meliora.
P. 54, l. 10, *pro* astrologiæ, mutato, *lege* astrologiæ mutato.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE